



Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Disputatio Sexta. De Gratia Sanctificante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

dunt debitum inviolabile. Debitum vero, quod nos dicimus esse possibile, est omnino violabile per DEUM, quippe licet vox *Debitum* quoad nos sonet obligationem vel quid simile; quoad DEUM id

non significat, quoniam eadem sanctitate, ac facilitate, qua DEUS illi indulgeret, renuere poterat. Prætereo alia passim obvia.

DISPUTATIO SEXTA.

De Gratiâ Sanctificante.

Cum sine hujus Gratiæ veste nuptiali nemo unquam Angelus, purusvè homo fructus vel fructurus sit convivio cœlesti, hoc est, æterna beatitudine: hæc de causâ post disputatam illam, de Gratiâ Sanctificante disputabo, neque omnia polliceor, quæ hic discuti solent, in longum quippè, abiremus; sed quæ magis ardua videntur examinabo capitibus quatuor.

CAPUT I.

Existentia, & octo attributa hujus Gratiæ.

I. Cum in nobis ipsis frequenter experti simus operationes valde sublimes respectu operationum brutorum, inde arguunt Philosophi inesse nobis intrinsicum principium aliquod permanens elicativum illarum: Unde concluditur inesse nobis rationalem Animum, tamen numquam oculis, aut alio sensu illum perceperimus: excelsius namque sensibus assurgit mens, & ratio. Similiter cum in hominibus experiamur jugem tenorem operandi, & loquendi sapienter, concludimus inesse illis aliquid, quod sit ratio formalis & immediata sapiendi, & hanc vocamus sapientiam, quamvis numquam illam formaliter in seipsâ videamus, sic de aliis, & sic de Gratiâ sanctificante. Nota sanè est illa vox Augustini. *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre credunt; quod non solent, non credunt.* Fide novimus esse homines sanctos, gratos, & amicos DEI; Fatemur namque in Symbolo, *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*: Ergo oportet fateri, esse aliquid in rerum naturâ, quod sit ratio formalis, & immediata faciendi illos sanctos, & amicos

DEI, quamvis nullo sensu tangamus rem tam excelsam. Hoc aliquid est, quod vocatur *Gratia sanctificans*, *Gratia habitualis*, & multoties etiam, *habitus charitatis*, seu *charitas habitualis*. Hæc pretiosa forma semper est justificans in actu primo, & quoad sufficientiam, quia per semetipsam est capax mundandi à lethalibus, si præcesserint in animâ illa; aut cum non semper præcedant, hæc de causâ plerumque, sed non semper, Gratia sanctificans est Gratia justificans in actu secundo, & quoad efficaciam. Unde Angeli, & B. V. MARIA habuerunt quidem Gratiam sanctificantem; sed non Gratiam justificantem in actu secundo, cum non transierint à statu iræ, & indignationis ad statum adoptionis DEI.

II. Primum ergo prædicatum hujus Gratiæ est esse participationem Divinæ Naturæ. Nam à Petro dicitur: *Ut per hæc efficiamini divina consortes naturæ.* Sed hoc non convenit ulli alii ex eis donis, nisi huic Gratiæ. Nam illa omnia & singula dona accidentaliter, non sunt ex se, saltem formaliter, impossibilia cum lethali: ergo hæc sola Gratia inter maxima illa, & sublimia dona, est participatio Divinæ Naturæ.

Secundum. Esse oppositum cum omni lethali tum habituali, tum originali, tum personali, tum commissionis, tum omissionis: *Quæ enim participatio Justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras.* Quæ verba multo magis & majori cum proprietate urgent contra consortium Gratiæ, & lethalis, quàm contra illud matrimonium Fidelis cum Infideli, quod infectatur Apostolus.

III. Ter.

Sess. 6.
cap. 7.

III. Tertium est, quod non opponitur cum lethali, sicut hujus contradictorium, sed insuper est remissio, & condonatio, non quidem omnium venialium, quandoquidem homo in sensu composito Gratiae sanctificantis potest habere peccatum veniale, juxta Tridentinum Sess. 6. Can. 23. Non item est condonatio lethalium, quoad reatum ad poenam temporalem, juxta Can. 30. 16. Est igitur condonatio omnium lethalium, quæ præcesserint; imprimis quoad culpam & malitiam ipsorum, quia ut docet Concilium: *Est sanctificatio & renovatio hominis interioris per voluntariam susceptionem Gratiae.* Quocirca sicut ingruente in animam vel minimo peccato mortali, subito in eodem instanti pro signo posteriori destruitur totus cumulus, quantumcunque magnus præcesserit, graduum hujus Gratiae; Itâ vel minimo gradu ejusdem animam nobilitante, cetera tota lethalium præcedentium, quantumcunque pessima, & horrida fuerit, aufugit. Est item remissio omnium lethalium quoad reatum ad poenam aeternam, quem incurrit peccator; itâ, ut licet subiaceat gravissimis cruciatibus Purgatorii, illico absolvatur à poenâ aeternâ, & immunis restet à tanto debito.

IV. Quartum Attributum est; optabilis hæc Gratia, non modo est remissio, sed est remissio peccati intrinseca Animæ, id est, ut forma intrinsecè inhærens Animæ juxta cap. 7. cit. Trident. sic loquentis de illâ. *Unica formalis causa* (scilicet nostræ justificationis) *est Justitia DEI, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justî nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes: Est ergo hæc Gratia nobis intrinseca non sanè per identitatem, aut per connexionem animæ nostræ cum illâ; sed per inhærentiam, seu receptionem illius in nobis, eo modo quo albor est intrinsecus subjecto, quod est album. Sicut enim ille paries nequit esse albus formaliter per albedinem alibi receptam, neque homo potest esse formaliter sapiens per sapientiam divinam, itâ neque justus, neque sanctus per sanctitatem, non sibi inhærentem, quia hæc denominatio justî, & sanctî non est*

ex genere denominationum extrinsecarum (e.g.) *esse visum, cognitum, &c.* Sed est denominatio intrinseca, sicut *esse sapientem, album, &c.* quæ nascuntur à formis intrinsecis subjecto. Hanc autem esse naturam hujus denominationis novimus ex illo eodem capite, ex quo novimus naturas & proprietates aliarum omnium rerum supernaturalium, nimirum ex sacra doctrinâ. Hâc de causâ ut semel & iterum hanc rem caperemus, addit ibid. Concilium: *Charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inheret; quod repetit postea Can. 11. Ista autem diffusio charitatis in cordibus nostris, nihil aliud est ex parte rerum, quam prædicta inhærentia.*

V. Quintum. Sicut de sapientiâ dicitur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ & innumerabilis honestas per manus illius;* Itâ Gratia hæc habitualis non venit sola, nec est in nobis vacua; sed trahit secum pretiosam suppellectilem virtutum Theologicalium, saltem quoad primam ipsarum infusionem, quidquid sit de augmento, quoties hæc Gratia augetur. Dicit enim Concilium ibid: *Unde in ipsâ justificatione cum remissione peccatorum, cum omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inferitur, Fidem, Spem, & Charitatem;* non, quia accipiat homo facilitatem inclinantem, seu moventem ad exercitia harum virtutum (habitus enim infusi non sunt, sicut illi, qui ex crebâ repetitione actuum acquiruntur, & hæc de causâ faciunt seu movent ad repetitionem) sed quia accipit facilitatem simpliciter talem ad ea exercitia, quo differunt habitus infusi ab acquisitis; Nam hi sunt ad facilius posse, illi verò ad simpliciter posse; quamquam enim Deus aut per se immediatè, aut beneficio auxiliî transeuntis, poterat elevare animam nostram ad producendos actus illos supernaturales; verumtamen non est ille modus regularis Divinæ Providentiæ; sed sicut causis naturalibus indidit virtutes intrinsecas, & permanentes ad effecta naturalia; itâ largitur nobis virtutes etiam permanentes ad effectus supernaturales supernaturalium virtutum. Iste virtutes intrinsecæ, & permanentes sunt quæ vocantur habitus infusi, & immediatè elevant seu adjuvant animam ad

eli-

eliciendum actum Fidei (e.g.) Spei, &c. & quod dicimus de his tribus habitibus infusus Theologicis dicendum est respectivè de habitibus moralibus ob eandem rationem, quamvis non ita clarè definitum fuerit.

VI. Sextum. Hæc Gratia habitualis est simpliciter necessaria in hæc providentiâ ad ingrediendum Regnum Cœlorum: Et sufficit. Ratio primæ partis est, quoniam loquens de cœlesti Patriâ Joannes inquit: *Non intrabit in ea aliquod coinquinatum*; ergo nullus coinquinatus lethali noxâ ingreditur. Sed in hæc providentiâ omnis, qui non habet Gratiam sanctificantem, est coinquinatus lethali, personali, vel saltem originali, quia in hac providentiâ non datur medium, seu non datur pura natura puritate excludente simul Gratiam; & lethale; ergo nullus carens hæc Gratia intrabit Regnum Cœlorum; ergo hæc Gratia est necessaria simpliciter in hæc providentiâ ad tantam felicitatem obtinendam. Ille autem, qui intravit ad cœnam sinè veste nuptiali, quæ Gratiæ hujus Symbolum est, non fuit adeptus beatitudinem, & postea exclusus (non enim gustavit cœnam illam, in quâ beatitudo adumbratur) sed intravit Ecclesiam, quæ sæpe vocatur Regnum Cœlorum, ut advertit Gregorius Hom. 12. in Evang. *Sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio Regnum Cœlorum presentis temporis Ecclesia dicitur*: Quia autem deprehensus fuit nudus hæc Gratia sanctificante, projectus fuit in tenebras exteriores. Sufficit item hæc Gratia, quia nusquam in sacris literis requiritur aliud ad tantam felicitatem, quam fungi hæc Gratia: & quia insuper per illam constituimur Filii DEI adoptivi, ergo hæredes, ut ait Paulus 8. ad Rom: ergo ex vi illius habemus jus ad gloriam; ergo illa sufficit in hæc providentiâ. Hinc Gratiæ illæ gratis datæ nec non alia dona, quæ meminit S. Paulus 1. ad Cor. 13. Nec sufficiunt per se sinè hæc Gratia sanctificante, quam ibi vocat charitatem sinè quâ *nihil sum, nihil prodest*, ut ibidem testatur Apostolus. Nec requiruntur quia multi sinè illis gratiis gratis datis & sinè illis donis ingrediuntur Regnum Cœlorum (e.g.) Parvuli, qui moriuntur post baptismum, & multi adulti, &c.

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

VII. Septimum. Hæc eadem Gratia est Filiatio DEI adoptiva, ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus Filii DEI, ut ibidem ad Rom: scribit Paulus; sed non Filii naturales nam sumus extranei: nec Filii ratione solius creationis & conservationis, quia scelerati quivis etiam creantur, & conferantur à DEO; Undè nihil speciale de se, ac de sanctis diceret Apostolus. Ergo Filii adoptivi, ut ibidem præmiserat idem. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum*; ergo oportet assignare formam aliquam, quâ formaliter immediatè reddamur filii adoptivi DEI; sed non est alia, nisi Gratia, formaliter immediatè sanctificans: Nam licet inter homines uni adoptentur Filii ab aliis per solam extrinsecam voluntatem legitimam adoptantium, hoc probat non esse de conceptu generico adoptionis, quod interius mutetur, & nobilitetur adoptatus. & ideo contingit istud inter homines, quia illa adoptionis voluntas nequit adoptato appingere intrinsecam ullam qualitatem, quâ de novo efficiatur formaliter immediatè Filius adoptivus; Unde sola voluntas legitima adoptantis extraneum est Filiatio adoptiva, quia ex naturâ rei non suppetit alius modus; Deus autem potest nobilitare nos formâ intrinsecâ; nempe Gratiâ sanctificante, & ita defacto contingere est doctrina Ecclesiæ, & Concilii Tridentini jam citati, quare hæc forma intrinseca est in hæc materiâ formalis immediata adoptio, & voluntas divina dandi illam est adoptio radicalis & illativa. Quod si DEUS efficaciter statueret, ut posset, dare gloriam homini non habenti hanc Gratiam, ille non esset Filius DEI adoptivus, quia licet haberet jus aliquod ad gloriam, non tamen ad eam ut hereditatem; sed ut donum purè liberale, & hoc jus fundaretur in divinâ fidelitate, si interveniret promissio, aut in solâ divinâ constantiâ, si solum fuit decretum sinè promissione. Hinc sequitur hanc gratiam esse pignus, esse aquam salientem in vitam æternam, esse semen gloriæ, de quo S. Joannes: esse denique jus ad gloriam, ut hereditatem; Nam si filii & hæredes: hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.

VIII. Octavum est: Cum Divinæ Personæ interdum visitent animam, & in

N n

in

Joan. 14. in eâ habitent: ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus, dicit Christus Dominus de Patre ac de se, & de Spiritu sancto dicit Paulus: *Ad Rom. 8.* Propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis. Item cum Spiritus sanctus verè mittatur & donetur nobis, quâ de causâ vocatur *Alissimi donum DEI*, & quâ de causâ dicimus *emitte Spiritum tuum & creabuntur, &c.* Hæc missio, hæc donatio, hæc inhabitatio, ille denique adventus primariè consistit ex parte rerum in hujus Gratiæ sanctificantis donatione (secundariè etiam consistit in collatione aliorum sublimium donorum, ut quando ordinatur Sacerdos, & audit illa verba, *accipe Spiritum sanctum*, & quando super domesticos illius Cornelii cecidit Spiritus sanctus, & eruditi sunt *Act. 10.* loqui linguis) rationem dedi supra disp. de Trinit: Quamvis enim Divinæ Personæ ob attributum immensitatis ubique sint, & consequenter sint in homine, habente necnè Gratiâ sanctificantem; Verumtamen ea est energia, & vis ac natura hujus Gratiæ, ut etiam præscindendo ab attributo immensitatis tota B. Trinitas speciali titulo habitet animam propter hanc Gratiâ sanctificantem. Quemadmodum Verbum Divinum ob unionem hypostaticam est in sanctâ humanitate Christi specialissimè, quamvis ubique sit; scilicet quia præscindendo etiam à Verbi immensitate, unio illa esset titulus, seu ratio sufficiens, ut in eâ Humanitate habitasset Divinum Verbum.

En Theologicum sensum realem, & objectivum, in quo anima habens hanc Gratiâ dicitur, atque est templum, & habitaculum totius B. Trinitatis, quæ consentaneè ad hunc sensum expellitur à nobis, quando graviter peccamus.

CAPUT II.

Questiones his super predicatis.

IX. **P**rima est, quo jure, & ratione hæc Gratiâ sit Filiatio DEI adoptiva, id est, *In quonam stet physice ex parte rerum Filiatio adoptiva DEI?* R. Quemadmodum sola voluntas est libera, ut quod atque in recto; libertas autem adæquatè sumpta non identificatur cum solâ voluntate, sed multa alia dicit

constitutiva; quæ disput. propria dedit. Itâ filiatio DEI adoptiva sumpta ut quæ, atque in recto, consistit in solâ Gratiâ sanctificante (hæc enim sola est forma, quæ aliis mox dicendis existentibus substantiam aliâs capacem denominat Filiâ DEI adoptivâ; natura enim irrationalis, equus (v.g.) aut lapis, non est capax hujus denominationis) sumpta verò adæquatè importat hanc Gratiâ, & tres carentias: nimirum carentiam Filiationis naturalis, carentiam omnis culpæ lethalis (saltem exigitive juxta connaturalem gratiæ exigentiam) & carentiam voluntatis efficacis Divinæ exheredandi eam creaturam pro eo statim in sensu namque composito Filiationis adoptivæ habet sapissimè Deus voluntatem efficacem exheredandi illam creaturam, id est negandi æternæ gloriæ hæreditatem, quia multoties in sensu composito filiationis adoptivæ prævidet Deus hominem illum lapsurum ex tantâ felicitate, moriturumque in peccato mortali, & consequenter ad hoc habet voluntatem efficacem non dandi ei dictam hæreditatem; sed hoc est, quia mutabitur status ille, & ex filio adoptivo DEI transibit homo ad filium Diaboli. Igitur in istis quatuor consistit physice ex parte rerum filiatio adoptiva DEI, ubi protinus occurrit vulgaris difficultas discernendi constitutiva rei à meris connotatis extrinsecis, & ubi multum solet esse de modo loquendi; sed non totum.

X. Connotatio interdum stat in solis terminis intellectualibus, aut vocalibus, ut quando itâ significant objectum A ex se distinctum à B. ut simul innuant vel supponant ipsum B (e.g.) hæc vox *Herus* significat Personam distinctam penitus à famulo; innuit tamen famulum, & similiter hæc vox *famulus* significat Personam nullatenus identificatam cum Hero; innuit tamen aut tacite supponit Herum: & sic multi alii termini passim obvii inter disputandum, & disputationibus materiam dantes, innuunt rem, cum quâ identitatem nullam habet objectum directe ac primariè significatum. Interdum autem stat connotatio in rebus ipsis (e.g.) quando res, de qua occurrit sermo, suapte naturâ connectitur cum B, aut specialem aliquam dicit

rela-

relationem ad B. Actio enim suapte naturâ connotat agens, id est connectitur cum agente: Creatura connotat creatorem, id est cum hoc connectitur; rationale suapte naturâ connotat irrationale, id est ei opponitur. Et hinc nascitur, quod talem aut talem rem audientes subito inolemus mente in talem vel talem aliam, eo quia illa specialem aliquam in se ipsâ habeat relationem cum hac aliâ, & consequenter hanc connotet. Est difficultas frequenter occurrens, & maximè in præsentiarum, utrùm res constituatur intrinsecè per talem aliam: an potius eam præcisè connotet?

XI. Multi & graves Authores utuntur hoc discursu. Id, quo solo deficiente, deficit aliud, non distinguitur adæquatè ab illo alio, sed solo A. deficiente deficit B. ergo A non distinguitur adæquatè à B. ergò ipsum intrinsecè constituit, & non est purum connotatum. Alii negant maj: agglomerantes connectiones metaphysicas, in quibus deficiente termino deficit fundamentum; cum tamen hoc distinguatur adæquatè ab illo. Sed isti non capiunt illam majorem: non enim dicit id, *quo deficiente*; sed id, *quo solo*, *quo præcisè* deficiente, id est, quo deficiente, & reliquis omnibus adæquatè distinctis perseverantibus, (nam aliàs non deficeret ipsum solum, sed illud & aliud) deficit res B, non distinguitur adæquatè à B. Hoc autem certum est; nam si distingueretur adæquatè ab illo alio permanentibus omnibus adæquatè distinctis etiam permaneret illud aliud: ergo si deficiente solo A & perseverantibus omnibus adæquatè distinctis ab ipso, non perseverat, sed deficit B. palàm sit, quod A non distingueretur adæquatè à B. aliàs perseveraret, & simul non perseveraret B. perseveraret quidem, quia hypothesis est, quod perseverent omnia adæquatè distincta ab A, & unum ex his distinctis est ipsum B: Deindè non perseveraret; quia propositio enunciat ipsum deficere. Et hinc apparet retorsiones falsas esse, vel extrà rem. Vel enim dicis sic: *Deficientibus extremis* deficit unio, vel sic *deficientibus solis & præcisè extremis* deficit unio. Si primum, est verum; sed extrà rem, quandoquidem major illa, quam impu-

gnas, non sic sanè procedit, sed addit exclusivum syncategorema *præcisè*, *solo*, aut simile aliud. Si secundum; venit quidem ad rem, sed est falsum, nam deficientibus *solis*, ac *præcisè* extremis, hoc est deficientibus illis, & perseverante omni distincto adæquatè ab eis, etiam perseveraret unio. Quod si dicas, id esse impossibile, nempe quod nunc perseveret unio; annuo; sed quid mirum est, quod ex hypothesi duorum contradictoriorum gravidâ monstrum nascatur? hypothesis autem ista, quod *sola* extrema deficient, est talis.

XII. Alii distinguunt illam maj: concedentes illam, quando deficit formaliter illud aliud; negantes verò, quando deficit arguitivè, illativè, seu de consequenti, ut ajunt. Sed hoc à parte rei nihil aliud est, quàm multiplicatis distinctionibus veritatem obscurare; tum quia quoties res deficit arguitivè, datur aliquid sive positivum sive negativum, formaliter inferens defectum formalem, & immediatum illius rei; ergò quoties res deficit arguitivè, datur defectus formalis & immediatus illius; ergò quoties deficit arguitivè, toties in eodem instanti deficit formaliter; ergo si solo A deficiente deficit arguitivè B; solo A deficiente deficit etiam formaliter B. Tum maximè, quia si solo A deficiente, & reliquis omnibus adæquatè distinctis ab ipso perseverantibus, non perseverat B, sed deficit arguitivè ac de consequenti, hoc B. non distinguitur adæquatè ab A, aliàs perseveraret, & non perseveraret in eo casu: perseveraret quidem, quia supponitur, perseverare omnia distincta adæquatè ab A & consequenter perseverare ipsum B, si sit unum ex distinctis adæquatè ab A: non perseveraret, quia dicitur ipsum deficere arguitivè, ac de consequenti, & certum est, non dari in rebus id, quod deficit arguitivè; sed per te, solo A deficiente & reliquis omnibus perseverantibus, deficit arguitivè B. ergo hoc non distinguitur adæquatè ab A; ergò post istam solutionem subsistit, quod B. non distinguitur adæquatè ab A, & hinc subinfertur solutionem istam implicare in terminis, sequitur enim B deficere tantum arguitivè ob defectum rei A ut dicis, & insu-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

N n 2

per

per deficere formaliter, utpotè non distinctum adæquatè ab *A*. multoties *antra Carybdis adit, qui vult evadere Scyllam*.

XIII. Igitur discursus ille, qui multis evidens videtur, ex alio capite mihi non probatur: Tum quia illa maj: protus vera, contenta est cum eo, quod *B*. non distinguatur adæquatè ab *A*. Sed hoc potest contingere, vel quia *B*. intrinsicè constituitur per *A*, vel quia constituitur ipsum *A*. Nam utrovis modo non distinguetur adæquatè ab *A*; ergò veritas illius majoris contenta est, vel constitutione rei *B* per *A*. vel constitutione rei *A* per *B*. Ergo non concludit determinatè, *A* esse constitutivum rei *B*. Tum maximè, quia fieri solet quod *B*. licet non constituitur intrinsicè per *A*; attamen cum eo metaphysicè connectitur. Hoc lignum Metaphysicè connectitur cum Deo, & non constituitur intrinsicè per Deum: hæc tua locutio connectitur Metaphysicè cum scientiâ, quâ Deus videt te loqui, & non constituitur intrinsicè per hanc scientiam, & sic de aliis; tunc licet major subsistat vera, min: implicat in terminis, & consequenter discursus ille est invalidus. Probatur assumptum mihi prorsus evidens.

XIV. Omnis propositio implicite conditionalis assumens duas hypothesas, quarum una infert defectum, altera permanentiam rei *B*. implicat in terminis; sed talis est ista propositio, *solo A* deficiente deficit *B*, quando hoc est metaphysicè connexum cum illo. Probatur; ista reddit hunc sensum: Casus in quo deficit *A*, & reliqua omnia adæquatè distincta ab ipso *A* permaneant, est casus, in quo deficit *B*; si enim vel unum solum ex distinctis ab *A* deficiat, jam non deficit *solum A*, sicut si vel unus solus distinctus à te loquatur, jam falsò diceretur, te solum loqui; sed deficere *A* infert quod deficiat *B*. Quippè, quod connectitur metaphysicè cum ipso *A*, quandoquidem fundamentum connexionis metaphysicæ absolutæ, ac determinatæ, nec divinitus potest subsistere, quando deficit terminus: & rursus reliqua omnia distincta adæquatè ab *A* perseverare, infert quod perseverat res *B*. Nam hæc

est unum ex distinctis adæquatè ab *A*. ergo propositio ista implicite conditionalis assumit duas hypothesas, quarum una infert defectum, altera permanentiam rei *B*. & quidem pro eodem instanti. Nam de hoc loquimur; ergo ista propositio implicat in terminis. Explicatur. Asserere unionem physicam deficere, quando deficiunt extrema, est vera assertio; asserere autem illam deficere, quando hæc *precisè*, quando hæc *sola* deficiunt, est implicatio in terminis. Quoniam ex unâ parte est necessarium, quod deficiat unio physica, quando deficiunt extrema; ex altera parte est etiam necessarium, quod illa unio non deficiat, sed in rebus perseveret, quando *sola* extrema deficiunt, nam alias deficerent *sola* extrema ut supponitur, & *non sola* quandoquidem deficeret aliud etiam distinctum realiter ab extremis, nempe eorundem physica unio. Quapropter vel in isto modo arguendi assumitur illa particula exclusiva *precisè, solum, &c.* vel omittitur. Si primum, major semper est vera, sed minor multoties implicat in terminis, ut vidisti. Si secundum, min: est vera, sed major est falsa; quoniam non sequitur *A* esse constitutivum intrinsicè rei *B*, ex eo quod illo deficiente deficiat hoc: cum sufficiat ad hunc defectum, quod *A*. sit terminus, quo cum connectitur Metaphysicè ipsum *B*.

XV. Regula igitur ad dignoscenda constitutiva, rerum est. Quoties res nec divinitus potest existere suo modo sine *A* suo etiam modo; unum ex his duobus sequitur necessariò. Vel constitui intrinsicè per *A*, vel metaphysicè connecti cum *A*. Si ergo aliundè probatur, quod præcise ab *A* nullum importat constitutivum connexum metaphysicè cum *A*, neque ipsum ex suo conceptu connecti cum *A*: concluditur determinatè, talem rem constitui intrinsicè per ipsum *A*. Porro discursus hic ostensivus perceptibilis magis fiet, ut plerumque contingit, si arguatur ad absurdum in re determinatâ, (v.g.) si homo non includeret intrinsicè unionem, sed adæquatè; & totaliter consisteret in solis corpore & anima, quoties hæc duo existerent in rebus, existerent *simul*, & esset *homo*.

homo, repugnat quippe existere omnia prorsus constitutiva rei, & non existere rem; at non quoties existunt hæc duo, existunt simul, aut existit homo; ergo hic & hæc simul aliquid aliud ultra hæc duo imbibit essentialiter. Sed hoc est, quod vocatur unio physica illorum extremorum. Ergo, &c.

XVI. Probo ergo conclusionem scriptam num: 9. utens eodem hoc discursu. In primis hæc filiatio adoptiva DEI non potest consistere adæquatè in solâ voluntate divinâ adoptandi hominem in filium. Tum quia hæc voluntas, cum habeat pro objecto ipsam adoptionem, haberet se ipsam pro objecto, & res in se ipsam reflexa, inexplicata maneret. Tum quia si hæc filiatio consisteret plenè & adæquatè in aliquâ Divinâ voluntate, esset in voluntate largiendi homini æternam hæreditatem, hoc est, gloriam æternam. Vel ergo hæc voluntas esset dandi gloriam propter gratiam inhærentem homini, vel non. Si Primum: ecce jam filiationem adoptivam stantem in ipsâ Gratia. Si secundum esset quidem voluntas dandi gloriam, ut donum merè liberale, vel ut coronam, si haberet pro motivo merita; verum tamen non esset voluntas dandi gloriam, ut hæreditatem: ergo in ea sola voluntate non salvatur filiatio adoptiva. Tum quia ut cap. 1. audivimus ex Trident: Homo interior renovatur, & charitas diffunditur in corde ipsius, & ipsi inhæret, quando justificatur: ergo quando ex Filio iræ transit in Filium DEI adoptivum, mutatur intrinsicè, cujus intrinsicæ mutationis faciendæ incapax est adoptio humana; sed nequit homo mutari intrinsicè formaliter immediatè ex vi solius voluntatis divinæ, nisi ex hac voluntate descendat aliqua forma intrinsicæ homini; ergo filiatio adoptiva, saltem quando trahit secum intrinsicam illam mutationem, non consistit plenè & totaliter in sola ista extrinseca voluntate DEI. Deindè non potest consistere adæquatè in ullo alio ab hac Gratia distincto: nam quodvis aliud, vel potest existere, quin homo sit Filius DEI adoptivus, vel supponit eam Gratiam jam inhærentem, vel est adæquatè extrinsecum homini; ergo filiatio adoptiva DEI intrin-

secè includit hanc Gratiam sanctificantem.

XVII. Sed non includit eam solam; quia aliàs, quoties hæc daretur, Persona, cui inhæreret esset Filius DEI adoptivus. Repugnat quippe dari totam essentiam, & quidditatem rei, quin detur ipsa res. At non quoties datur Gratia hæc habitualis, persona illa est Filius DEI adoptivus: quoniam propius vero est, eam gratiam fuisse in Christo Domino, utpotè connaturale principium, in sensu infra explicando, cæterarum operationum supernaturalium; & tamen non fuit Christus Filius DEI adoptivus, sed naturalis: ergo oportet assignare aliud constitutivum filiationis adoptivæ, quod Christo Domino deesset; sed juxta hunc discursum tale aliud constitutivum debebat esse carentia filiationis naturalis: ergo filiatio adoptiva importat constitutivè carentiam filiationis naturalis, id est extraneitatem. Ratio autem est. Quoties persona sit Filius naturalis, nequit esse Filius adoptivus, nam de ratione adoptionis est extraneitas; extraneitas verò repugnat filio naturali etiam exhæredato, quia adhuc post exhæredationem remanet filius naturalis. At fieri potest, quod in Filio DEI naturali detur Gratia hæc accidentaliter sanctificans; nam & si defacto non fuisset in Christo Domino, non elicies duo contradictoria, ex eo quod concurrant unio hypostatica, & hæc Gratia: ergo fieri potest, quod detur hæc Gratia, & persona illa non sit filius adoptivus DEI; ergo hæc filiatio adoptiva aliquid aliud requirit; sed hoc aliud debet esse extraneitas personæ adoptatæ respectu adoptantis; ergo filiatio adoptiva DEI ultra Gratiam istam includit extraneitatem personæ respectu DEI. Atqui hæc extraneitas non est contenta sola distinctione reali illius naturæ à natura divina, siquidem Christus Dominus imbibit naturam realiter distinctam à Divina, scilicet naturam humanam, & tamen non est extraneus. Ergo hæc extraneitas importat constitutivè carentiam quoque unionis hypostaticæ: unionis, inquam, non cum personalitate Patris aut Spiritus sancti (quia neutra faceret personam illam Filium DEI naturalem) sed determinatè carentiam unionis

nis cum personalitate Filii. Ergo hæc extraneitas imbibita in adoptione importat constitutivè carentiam filiationis naturalis. Et cum hæc carentia, impossibilis sit in Christo, ideo est impossibilis in eo extraneitas, & adoptio.

XVIII. Sed neque hæc sufficiunt: adhuc enim desideratur alia carentia: nimirum omnis peccati lethalis. Nam si filiatio adoptiva DEI consisteret adæquatè in solâ Gratiâ sanctificante, & extraneitate, id est in carentia unionis hypostaticæ cum personalitate Verbi, quoties darentur hæc duo, Persona illa foret Filius DEI adoptivus ob rationem insinuatam; sed hoc est falsum: ergo præter ista duo aliquid aliud desideratur, quod juxta discursum, quem subjicio, non potest esse, nisi carentia peccati lethalis. Probo min: Quoties illa persona infecta fuerit peccato lethali, non est plenè, ac perfectè Filius DEI adoptivus; sicut quoties subjectum habet notabilem portionem nigredinis, non est plenè, & perfectè album, & quoties habet multos gradus frigoris non est plenè & perfectè calidum, quia cum adhuc persona illa retineat sordes, & spurcitiâ peccati lethalis, non est interiùs renovata & munda: & cum adhuc sit Filius iræ non est Filius adoptionis; sed fieri potest quod dentur illa duo, & tamen quod persona inficiatur peccato lethali, non quia hoc miraculosè conservetur à DEO veniente Gratiâ; absit tam foedum miraculum; & prorsus indignum DEO; sed quia hæc Gratia miraculosè conservetur à DEO subrepente peccato mortali, ut infra dicemus. Ergo filiatio adoptiva DEI plena, & perfectâ, id est secundum positivum, & negativum, quod dicit, non consistit adæquatè in eis solis duobus; si verò judices Gratiâ hanc opponi metaphysicè cum omni lethali, non solum præcedente, sed etiam irrumpente, quando illa existit, tunc discursus hic non subsistit, & consequenter non est ratio, ob quam carentia peccati lethalis constituat intrinsecè hanc filiationem.

XIX. Adhuc etiam requiritur aliud constitutivum: scilicet carentia voluntatis divinæ exheredandi personam il-

lam durante etiam eo statu Gratiæ, sive, licet duret ille status (quod addo propter illos, qui aliquando fruuntur felici hoc statu, & consequenter filiatione adoptivâ DEI; quos tamen hic absolūtè & simpliciter exheredavit ab æterno, & in æternum, eo quia infallibiliter prænovit eos morituros in lethali: & consequenter habet decretum efficax absolutum negandi eis æternam gloriâ hereditatem) Probatur. Si filiatio adoptiva consisteret adæquatè in solis Gratiâ, carentiâ filiationis naturalis, & carentiâ omnis lethalis, quoties darentur hæc tria, Persona illa esset filia DEI adoptiva. Nam ut toties adverti, impossibile est, quod dentur omnia penitus constitutiva rei habentis physica constitutiva, & quod non detur res ipsa: quidquid enim causa fuerit, ne detur res illa, causa erit ne detur unum saltem constitutivum illius. Atqui falsum est, quod quoties darentur illa tria, persona illa esset filia DEI adoptiva saltem plene, & completè. Ergo filiatio adoptiva plena, & completa non consistit adæquatè in eis tribus solis. Ergo aliquod aliud constitutivum desideratur, quod sanè non potest esse aliud, quàm carentia prædictæ absolutæ atque efficacis voluntatis numquam dandi gloriâ (quæ est hereditas paternâ) illi creaturæ, quidquid ea fecerit: sive numquam dandi gloriâ etiam perseverante statu illo habendi gratiam, & carentiam filiationis naturalis, & carentiam omnis lethalis. Probo illam minorem. Quoties persona pro hoc dicto statu non habuerit jus plenum, & completum ad paternam hereditatem, hoc est, ad gloriâ habendam, si invariatus perseveret ille status, pro eo statu non est plenè, ac perfectè filia DEI adoptiva. Hoc namque jus est de essentiali hujus filiationis adoptivæ, sajente Paulo, quod si Filii & heredes: & completur hoc Jus per donum perseverantiæ. At fieri potest, quod Persona habeat prædictam Gratiâ, expersque sit lethalis, nec non filiationis naturalis, & tamen non habeat hoc Jus plenum, & completum ad paternam illam hereditatem. Vel quia non habitura est donum perseverantiæ, per quod, ut dixi, completur Jus ad illam. Vel potius, quia cum neque Gratiâ, neque carentia filiationis naturalis,

ralis, neque carentia culpæ lethalis neque complexum ex his tribus connectatur metaphysicè cum voluntate divinâ dandi gloriam creaturæ, idcirco potest Deus absolutè ac metaphysicè loquendo, negare in aliâ providentiâ gloriam illi creaturæ in sensu composito illorum trium, conjunctim autem cum hac absolutâ, & efficace negatione divinâ, non non stat in creaturâ Jus absolutum, plenum, & completum ad gloriam, ut patet. Ergo fieri potest metaphysicè loquendo, atque in aliâ Providentiâ, quod creatura habeat illa tria, & tamen quod non habeat plenam, & completam filiationem adoptivam Dei. Ergo hæc ultra illa tria per aliquid aliud constituitur. Sed hoc aliud non videtur esse nisi carentia, seu omisso voluntatis Divinæ absolutæ, atque efficacis negandi creaturæ illi gloriam, etiam si perseverent illa tria. Ergo, &c.

XX. Sed occurrit difficultas vulgaris. Nihil positivum potest constitui per carentiam ullam, seu per quid negativum, quia juxta conversionem simpliciter, nihil negativum potest constitui per quidpiam positivum. At filiatio adoptiva Dei est quid positivum: ergo non potest constitui per ullam carentiam, ne dum per tres. Nego majorem: quia mutatio entis naturalis, & sanctificatio personæ præcedentis in purâ naturâ, sunt quid positivum, & tamen ambæ constituuntur per suos terminos à quo, qui sunt quid negativum, scilicet privatio formæ ignis (e.g.) & privatio Gratiæ sanctificantis. Tum quia etiam libertas indifferentiæ est quid positivum, & nihilominus constituitur per carentiam omnis antecedentis, seu inevitabilis necessitatis, atque impossibilitatis. Ista probatio adjuncta, quæ videtur conversio per simpliciter est fallax. Quoniam ista propositio: *Nihil positivum constituitur per negativum convertitur* non isto, sed hoc modo: *Nihil constitutum per negativum est quid positivum*, quia subiectum conversionis debet esse id, quod erat prædicatum in conversâ; prædicatum autem conversæ non est ille terminus negativum sed hic constituitur per negativum. Quod si illa probatio adducatur non instar conversionis dialecticæ, sed instar paritatis:

En disparitatem. Omne negativum est carentia alicujus rei positivæ; ergo si aliquod negativum constitueretur per quid positivum, nequiret existere carentia rei illius creatæ, quin existeret aliquid positivum (quod cum aliundè ex disp: de carentiis dici soleat, non esse rem ullam entitativè divinam, sequeretur illud positivum esse rem aliquam entitativè creatam) sed hoc est falsum, quoniam omnium creaturarum carentiæ possunt existere in eodem puncto temporis, & extiterunt defacto ab æterno; siquidem ab æterno nulla fuit creatura; ergo nihil negativum potest constitui per quidpiam positivum saltem creatum. Hoc discursu uti nequimus ad probandum nihil positivum constitui per aliquid negativum, quia inter res ipsas positivas unæ opponuntur essentialiter cum aliis, undè nequeunt simul existere, carentiæ autem omnes creaturarum possunt simul existere suo modo, undè unæ non opponuntur cum aliis essentialiter.

XXI. Jam ratio à priori contrâ istam difficultatem est. In concretis accidentalibus prædicatum ut plurimum non requiritur, ut conveniat omnibus singillatim constitutivis subiecti, sed illi soli quod importatur in recto, id est in primo casu formaliter, aut æquivalenter. At quamquam filiatio adoptiva Dei adæquatè sumpta includat intrinsecè tres illas carentias, nullam tamen ex eis dicit in recto, sed solam Gratiâ sanctificantem, quæ est forma tribuens hanc denominationem, & quæ sine dubio est quid positivum; ergo subsistit filiationem esse quid positivum, quamquàm intrinsecè claudat eas tres carentias. Explicatur & probatur maj: Nequimus definire, an propositio sit vera, vel falsa, absque notitiâ illius, quod ipsa enunciat; Nam ex eo quod propositio affirmat, vel negat, & ex eo quod est vel non est, resultat propositionem esse veram vel falsam. Atqui omnis propositio constat gemino termino, quorum unus vocatur subiectum, alter prædicatum: ergo ad definiendum modo rationali & non præcipiti, sit necnè vera aut falsa quævis propositio, opus est scire quid significet subiectum, quid prædicatum. Tum sic,

Occur-

Occurrunt frequenter inter disputandum qualibet super materiâ, termini complexi significantes modò duas, modò tres, modò etiam plures entitates; sed significantes illas diversimodè: Unam in recto, ceteras in obliquo (e.g.) *Soror Fratris, Frater Sororis*. Uterque significat easdem entitates sed primus significat sororem in recto, fratrem autem in obliquo; è converso secundus terminus complexus significat Fratrem in recto, Sororem in obliquo.

Dico ergò regulam consulendam ad discernendum, sit necnè vera propositio, esse. Utrum illud quod in recto enuntiat mentale prædicatum conveniat necnè illi, quod in recto etiam enuntiat mentale subiectum; si conveniat & propositio sit affirmativa, est vera; si negativa, est falsa: si disconveniat; negativa erit vera, affirmativa falsa.

XXII. Ratio est, quia id solum est quod enuntiat propositio affirmativa: nempe illud quod in recto significat prædicatum convenire ei quod in recto enuntiat subiectum. Atqui id solum est quod negativè enuntiat propositio negativa, nimirum id, quod in recto significat prædicatum non convenire ei quod in recto enuntiat subiectum. Ergò, &c. Hæc de causâ est vera hæc propositio *Soror Fratris est sœmina*, quoniam prædicatum hoc convenit ei personæ quam subiectum significat in recto, licet non conveniat ei, quam significat in obliquo; hæc autem est falsa: *Frater Sororis est sœmina*, quia licet hoc prædicatum conveniat ei personæ, quam subiectum significat in obliquo non convenit ei, quam significat in recto, & de quâ enuntiat tale prædicatum. Sic de aliis. Quod si prædicatum fuerit ex eis quæ vocantur transcendentalia (e.g.) *ens, possibile, &c.* debet etiam convenire illis, quæ subiectum mentale significat in obliquo, tamquam terminos relationis positivæ illius rei, quæ significatur in recto ex parte subiecti; secus tamquam terminos relationis negativæ (e.g.) ut sit vera hæc propositio, *album est possibile*, debet frui possibilitate non modo subiectum, quod significatur in recto; verum etiam albedo, quæ significatur in obliquo, aliàs

supponeret falsum ea propositio: nempe quia subiectum, quod in primo casu significatur termino illo *album*, significatur ut dicens positivam relationem unionis physicæ cum albedine, quæ significatur in obliquo. Ut autem sit vera hæc. *Distinctum à chimærâ existit*, non est necesse quod chimæra existat, quia licet hæc significetur in obliquo ex parte subiecti; hoc non significatur ut dicens relationem positivam ad chimæram, sed tantum negativam id est oppositionem distinctionis cum illâ.

XXIII. His positis, quorum obliquo solet disputationes perturbare, li- quidò constat res præsens. Verum est quod filiatio adoptiva DEI est terminus complexus significans Gratiam habitua- lem, & trinam illam carentiam; cæte- rum hæc significatur in obliquo, illa in recto, seu in primo casu; quoniam filiatio adoptiva DEI est, *Gratia sanctifi- cans inherens creaturæ rationali cum tribus il- lis carentiis*. At quamvis esse quid positi- vum non conveniat his carentiis, con- venit illi Gratia: Ergò quamvis non conveniat his carentiis, convenit ei, quod filiatio adoptiva significat in recto: ergo stat filiationem hanc esse quid positi- vum, tamen illas carentias includat. Eadem doctrinâ solvendum est argu- mentum simile, quod potest fieri contra constitutionem libertatis indifferen- tiæ per carentiam omnis inevitabilis ne- cessitatis, ac impossibilitatis: & contra constitutionem Personæ creatæ per ali- quid negativum.

CAPUT III.

Dux alia Quaestiones.

XXIV. **Q**uæstio secunda est, quo sensu hæc Gratia sanctifi- cans sit juxta citatum testimonium sancti Petri divinæ naturæ participatio, sive consortium. Participatio seu consor- tium hoc non stat in eo quod hæc Gra- tia sit pars quædam seu communicatio divinæ naturæ formaliter in se ipsâ ut patet; sed in eo quod sit similitudo quæ- dam, aut quædam imago naturæ Divi- næ. Quæritur ergo quid sit hoc ex parte rerum. Putant aliqui, hanc similitudi- nem, consortium, seu participationem stare

stare in eo, quod sicut natura divina est radix & origo divinorum attributorum seu perfectionum. Ita Gratia sanctificans est origo, radix, & quasi natura, cujus proprietates sunt supernaturalia dona infusarum virtutum Fidei, Spei & Charitatis. Videtur longa analogia. Natura divina non est radix physica divinorum attributorum, imò neque virtualis, quia ut tract. de Deo Disp. 1. dixi, nec realiter nec virtualiter distinguitur ab illis. Rursus neque est radix, quatenus divina attributa per naturalem emanationem, ut ajunt, absque influxu physico resultent ex illâ: Sicut aliqui dicunt, Proprietates physicas rerum resultare ab essentia, eo quod huic debeantur, quin hæc influat physicè in illas (quæ est philosophia satis difficilis, & non alio fine introducta nisi ad fugiendum, quod substantia sit principium quo immediatè operativum, quasi hoc foret maximum absurdum) Natura enim divina realiter & virtualiter est Omnipotentia, est Sanctitas, &c. ergo hæc attributa non se habent respectu illius sicut frigus respectu nivis: aut sicut calor respectu ignis.

XXV. Igitur Natura divina eatenus præcisè dicitur radix attributorum, & hæc eatenus præcisè dicuntur proprietates illius, quatenus illa est radix Logica seu Metaphysica horum, & hæc sunt proprietates Metaphysicæ illius, id est, quatenus natura simpliciter infinitè perfecta Dei est ineluctabile medium ad probandum Deum frui perfectionibus illis (quemadmodum rationale humanum est infallibile medium ad probandum prædicata admirativi, risibilis, capacis liberi arbitrii, præcepti, & prohibitionis) Infallibiles namque sunt hæc consequentiæ: Datur natura Divina, hoc est summè infinitè perfecta: ergo est Omnipotens: ergo est omniscia: ergo est immensa: ergo est misericors, &c. Tum sic; sed Gratia sanctificans non modò non est radix physica earum infusarum virtutum, quatenus eas physicè producat, aut cum eis suapte naturâ connectatur; verum neque per se præcisè fundat hanc consequentiam metaphysicam. Datur Gratia sanctificans, ergo dantur virtutes infuse. Probatur. Vel fundas rectitudinem hu-

jus consequentiæ in solâ naturâ ipsius Gratiæ, vel in lege, seu providentiâ præsentè, seu decreto quo Deus ex suâ misericordiâ decrevit infundere homini simul cum Gratiâ has pretiosas dotes Fidei, Spei, & Charitatis. Si primum: de illo est difficultas, & istud non debes supponere, & illud est falsum, tum quia, ut sæpè dixi, unica lux ad detegendum connexiones physicas, virtutes, efficacias, & reliqua attributa rerum supernaturalium superantium captum totum luminis solius naturalis, est sacra doctrina. Atqui ex hac non constat hanc Gratiâ sanctificantem suapte natura fungi virtute physica, aut physica connexionè cum istis dotibus: ergò donec illud probes, justè negatur; tum quia cum hæc Gratia fuerit in Christo Domino, in quo difficile probatur virtus spei Theologicæ, ut talis (immò respectu beatitudinis animæ ipsam non habuerit) sequetur, hanc Gratiâ fuisse in Christo non minus violentè, quàm ignem absque calore. Imò in Beatis difficile probatur virtus Fidei & Spei, propter evidentiam ac possessionem, quâ gaudent: sequeretur itaque Gratiâ hanc in Beatis esse orbam illo, quod naturâ suâ exigit: ergò & esse violentam. Si secundum; hoc est verum juxta cap. 7. jam cit. Sess. 6. Trident. verumtamen non sufficit hoc ad dicendum, hæc dona esse proprietates Gratiæ, seu hanc esse naturam respectu illorum.

XXVI. Probatur. Etiam ex Divina benignitate, quoties elicit peccator contritionem perfectam accipit à DEO Gratiâ sanctificantem, immò quoties elicit imperfectam contritionem, & simul suscipit baptismum aut Sacramentum Pœnitentiæ, aut Martyrium; & tamen neque potest dici, hanc Gratiâ esse proprietatem physicam horum actuum neque hos actus esse naturam respectu illius: ergo, &c. Quapropter quando supra dixi ex S. Th. 1. 2. qu. 110. art. 4. ad p. hæc dona seu virtutes infusas effluere ab hac Gratiâ instar proprietatum ab essentia, non dixi illas esse proprietates; sed instar proprietatum: Hoc instar seu hæc similitudo consistit in eo quod, sicut proprietates essentiæ comitantur semper hanc, ita hæc virtutes infusæ inhaerent omni puræ creaturæ vivæ,

trici, in qua datur hæc Gratia. In Christo autem Domino, & in Beatis est specialis difficultas jam insinuata, quamvis utrobique detur Gratia habitualis.

XXVII. Igitur hæc participatio Divinæ naturæ, hæc similitudo, hoc consortium Gratiæ habitualis cum illâ, stat in eo, quod verè ac simpliciter finè metaphoris, & analogiis convenit utrique, *distributione accomodâ* (id est, naturæ Divinæ cum infinitâ perfectione; Gratiæ autem habituali cum finitâ) scilicet. Immunitas ab omni lethali, & quidem ob intrinsecam perfectionem, non autem ob imperfectionem (e.g. ob irrationalitatem) verè, ac simpliciter convenit finè analogiis aut metaphoris, servatis tamen servandis, naturæ divinæ, atque huic Gratiæ, quoniam ambæ ex intrinseca sua perfectione, & non sicut bruta, repugnant omni lethali; Natura quidem divina metaphysicè, Gratia autem habitualis saltem physicè; Unde conveniunt in conceptu generico, licet non in specifico oppositionis cum lethali; Deindè capacitas proxima seu potius proxima dignitas divini amoris passivi, qui sit benevolentia, verè etiam ac simpliciter convenit utrique, quoniam natura ipsa divina verè est capax, seu digna quæ ametur à Deo; & persona ipsa, quæ, hæc Gratiâ existente in suo statu naturali (id est exterminante omne lethale) nobilitatur, est capax, seu potius digna, quæ ametur à Deo. Nam quamvis hæc Gratia, quippe quæ est bonitas finita & creata, non necessitet DEUM, ut amet creaturam; verè tamen & simpliciter constituit hanc gratiam Deo, dignam & proximè capacem, ut ab ipso ametur amore benevolentiae seu amicitiae. Demùm capacitas amoris activi, id est capacitas amandi DEUM verè etiam convenit utrique: quoniam DEUS ex suamet naturâ capax est amandi seipsum: & homo ex naturâ ipsâ Gratiæ sanctificantis, suppositis cæteris prærequisitis, capax est amandi DEUM amore benevolentiae, quamvis hanc capacitatem non habeat ex solâ hæc Gratiâ, sed etiam ex Gratiâ auxiliante: ergò participatio, similitudo, & consortium hujus Gratiæ cum naturâ divinâ stat in dictis tribus; sed jam vides disparem valdè esse parti-

cipationem hanc. Alia verò in quibus etiam conveniunt natura divina, & hæc Gratia, ut esse *ens*, *verum*, *aliquid*, & similia, sunt transcendentalia, & conveniunt aliis, quæ non sunt Gratia sanctificans; In præsentiarum autem non quaerimus participationem naturæ Divinæ valdè genericam, & transcendentalem; sed propriam & characteristicam Gratiæ habitualis.

XXVIII. Tertia quæstio est: An hæc Gratia sit simpliciter necessaria ad observandum per multum tempus totam legem, id est omnia præcepta decalogi. Non est quæstio de illâ Gratiâ auxiliante, quæ consistit in sancta cogitatione congrua & efficace, excitante atque præveniente ad honestum; de hac namque jam scripsi suo loco, esse simpliciter necessariam in utroque statu naturæ, & quidem in signo priore, ad quamcunque, vel minimam honestam operationem: ergò multò magis ad observandum omnia, & singula præcepta vel per minimum tempus. Est itaque difficultas de sola Gratiâ habituali sanctificante per se immediatè creaturam, sine qua multi putant non posse observari totam legem per multum tempus; quin immò hominem vel uno solo infectum lethali non post multum tempus lapsurum in alia, ita ut abyssus abyssum invocet. Hæc Gratia sanctificans tripliciter potest intelligi necessaria. Primo, in signo antecedente tamquam constitutum essentiale facultatis ad observandum legem. Secundo, in signo subsequente tamquam quid necessariò subsequutum ad observandum hanc. Tertiò, in signo comitante, quatenus diuturna legis observatio sit connexa cum prædicta Gratiâ sanctificante; nullum tamen respectu illius habeat ordinem prioris, aut posterioris.

XXIX. Rursus lex potest considerari adæquatè prout includit præcepta utrarumque virtutum, nempe moralium, & Theologicalium: vel solum inadæquatè prout præscindit à præcepto charitatis (est namque lex Divina, immò maximum & primum mandatum juxta testimonium Christi Domini apud Matth. 22. *Diliges Dominum DEUM*

num ex toto corde tuo) & prout duntaxat includit moralia præcepta decalogi, vel etiam præceptum fidei, atque spei theologialium; Nam cum his duabus virtutibus, licet infusis, & divinis, non sit annexa sanctitas, eisdem subjacent difficultatibus in præsentiarum, quibus virtutes purè morales: Tandem præcepta illa moralia, & etiam Theologalia dupliciter observari possunt, ut notat S. Th: infra citandus. Primò, quoad solam substantiam rei præceptæ (v.g.) honorare majores ex motivo honesto & rationali, assentire firmissimè mysteriis fidei ob solam auctoritatem Dei loquentis. Secundò, quoad substantiā, & insuper quoad modum charitatis, ita ut observatio ex suis intrinsicis sit meritum condignum vitæ æternæ, vel quia ipsa observatio habeat pro objecto formali motivo divinam bonitatem super omnia æstimatam (e.g.) volitio honorandi majores formaliter ob divinam ipsam Majestatem præcipientem honorare majores: ita ut volitio primariè, ac directè moveatur ex divina ipsa Majestate summè appreciata, vel quia signatè ac expresse impetretur per actum quemdam charitatis, (e.g.) *volo huic exhibere honorem debitum, ob divinam bonitatem, cui hoc placet*: quæ volitio imperans eum cultum est actus charitatis theologicæ: vel quia exercitè ac subjektivè movetur & nascitur ex actu charitatis, qui per se immediatè atque exercitè instar ponderis affectivi movere solet ad actus aliarum virtutum; sicut cognitio finis per se exercitè movet ad illius cupiditatem, & hæc cupiditas per se etiam exercitè ac immediatè movere solet ad prælectionem hujus individui medii, quod præcognoscitur magis opportunum. Dixi *ex suis intrinsicis*, quia ut disput: de actibus humanis bonis adverti, actus potest esse meritum condignum vitæ æternæ, quamvis neque sit formaliter in se ipso actus charitatis Theologicæ, neque ab hoc imperetur, neque ex hoc ullatenus moveatur; modò tamen sit actus honestus, & liberè concipiatur à persona habente Gratiā sanctificantem.

XXX. Conclusio esto: Hæc Gratiā sanctificans non est simpliciter necessaria ad observandum quoad substantiam
R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

cætera omnia præcepta per multum tempus. Explicatur conclusio, ad cuius intelligentiam potest aliquis offendere. Aliud est, quod omnia penitus præcepta, vel copulativè vel distributivè possint observari quoad substantiam per quinquennium (e.g.) quin homo sit in statu Gratiæ; aliud quod sine isto statu possint observari alia omnia distincta à præcepto charitatis, aliud demum quod ad hujus præcepti observantiam sit necessarius ille status tanquam quid se habens pro priori, & non instar doni ad ejus observantiam. Non dicimus illud primum, quia est falsum; etenim in publicatione seu distributione omnium præceptorum sonat primum illud & maximum mandatum charitatis Theologicæ *Diliges Dominum DEUM tuum, &c.* Sed hoc non potest observari in hac providentia adhuc per unicum instans, quin homo in eodem instanti assequatur illi cò statum Gratiæ, si eo prius orbis erat: quandoquidem est certum, quod si homo diligat DEUM ex toto corde suo, & ex tota sua anima in instanti A, & subito moriatur in B, non damnabitur: eo quod DEUS pollicitus sit justificare ac redamare eum, qui ex toto & sincero corde sine versutiis, quæ DEUM latere non possunt, ipsum amat. Ergò nec per unicum instans possunt observari quoad substantiam præcepta omnia copulativè aut distributivè, quin homo sit in statu Gratiæ.

XXXI. Nec refert quod P. Vasq: 1. 2. disp: 196. c. 3. dicit respondens Scoto, præceptum charitatis Theologicæ rarè seu in extremā necessitate obligare. Etenim suo tempore nondum declaraverat Innoc: XI. hoc præceptum primum & maximum saltem singulis quinquenniis obligare. Propositio enim quam damnat est: *Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga DEUM* cui consonat propositio septima immediatè damnata: ergò lex tota, quippè quæ includit hoc præceptum, non potest observari adhuc quoad substantiam, quin observetur hoc præceptum, quod quicumque violaverit sit reus totius legis juxta generalem regulam. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus*

ctus est omnium reus. Sed hoc præceptum non potest observari absque statu gratiæ, non quidem præcedente, sed immediate subsequente observantiam; ergo, &c. Ob eandem rationem nulum præceptum sive divinum sive humanum potest observari in præsentī providentiā quoad modum charitatis sine hac Gratiā sanctificante, quia observari quoad modum hunc est, observari per actum, qui aut sit charitatis, aut ab eo imperetur, aut ex eo nascatur, ita ut observantia sit meritum condignum vitæ æternæ. Sed hoc juxta præsentem providentiam nequit fieri à purā creaturā sine Gratiā sanctificante, quæ est unica forma condignificans actus liberos supernaturales juxta disput. de actibus humanis bonis, & quæ obtinetur ex Deo in eodem instanti in quo exercetur charitas Theologica: ergo, &c.

§. Secundus.

XXXII. Itaque secundum est quod dicit, & tertium est quod negat conclusio nostra: quia licet præceptum charitatis nequeat observari absque Gratia sanctificante, eo quia hæc subito in eodem instanti donatur pro signo posteriori (sicut subito in eodem instanti, quo fuit sol fuit quoque lux in signo posteriori ad solem, quippe qui non habuit infantiam) potest tamen observari, quin illa gratia præcedat pro priori; patet in peccatore eliciente actum perfectæ contritionis, id est contritionem quam Tridentinum vocat charitatem perfectam: Ille enim libertatem habet plenam & proximam ad actum charitatis, quem elicit; & tamen illa libertas non constituitur per ipsam Gratiā sanctificantem, quam adipiscitur, aliàs hæc foret principium simul & effectus ejusdem actus meritorii de congruo, & pro eodem instanti, & quoad idem esse contra principium stabilitum disput. de actib. hum. bonis. Sed supposita Gratia illustrationis, & inspirationis, constituitur per Omnipotentiam specialiter applicatam, quæ par est supplendo absentiam principii creati regulariter requisiti, vel per unum aliud ex eis auxiliis Gratia prævenientis, atque moventis, quæ habent virtutem physicam in-

fluendi physicè in actum salutarem juxta ea, quæ dixi suo loco: ergo status Gratia non est simpliciter *prærequisitus* ad observandum præceptum charitatis, & consequenter nec ad observandum alia inferiora præcepta: si enim prærequisitus foret simpliciter, constitueret libertatem proximam ad illam observantiam: cum hæc libertas imbibat omnia prærequisita ad utrumque. Ergo hoc præceptum, & lex tota potest impleri per multum tempus absque statu gratiæ *ut præcedente* sive, *ut prærequisito* ad observantiam. Et hinc elicitur ratio à priori. Omne quod nec prærequisitur simpliciter ut causa physica, nec ut causa moralis, neque ut quid retrahens, neque ut quid applicans, non prærequisitur simpliciter ut causa observantiæ ullius præcepti. At status Gratia nullo ex eis modis prærequisitur ad observantiam ullius præceptorum illorum: Nam imprimis pro unoquoque observando præsto sunt alia principia supernaturalia physica proportionata, atque elevantia naturam (e.g.) pro observando præcepto Fidei, Spei, &c. habitus Fidei, Spei, &c. & quando hi habitus deficiunt, ut non raro contingit, adest divina gratia excitans, quæ consistit in sancta cogitatione & inspiratione, quæ juxta multos habet physicam virtutem influendi in actum supernaturalem. Et, si dixeris hæc carere tali virtute physicā, adest Omnipotentia prompta, & expedita ad supplendum absentiam non quidem sanctæ cogitationis, aut inspirationis, sed aliorum principiorum physicorum, ne unquam sterper DEUM, quod viator compos sui non satisfaciat suis obligationibus, & ne ille unquam queratur de Deo, quod non habuit facultatem obediendi legi: ergo hic status non prærequisitur ut causa physica: Deinde non prærequisitur status Gratia, ut quid retrahens, (sicut arduitas prærequisitur ad actum spei) neque ut quid applicans potentiam, ut satis constat ex terminis. Non demum prærequisitur ut causa moralis, quia cum non sit actus vitalis, non movet, non excitat ad observantiam per modum causæ prævenientis; Nam hoc esset confundere hanc gratiam cum auxiliis illis vitalibus, quæ consistunt in sanctis cogitationibus, aut piis motibus volunt.

voluntatis, è quorum numero non est Gratia sanctificans: non item inelinat per se immediatè ac exercitè, quemadmodum habitus acquisiti atque consuetudines inclinare solent: quia hæc Gratia sanctificans non est habitus acquisitus, sed infusus, & consequenter non datur à Deo ut facilius possimus, sed ut possimus simpliciter id est quando non adest aliud principium supernaturale elevans potentiam nostram ad supernaturalem operationem. Ergo status Gratiae non prærequiritur ad diurnam observantiam præceptorum aliorum à præcepto charitatis distinctorum: quandoquidem neque observantia illa, neque auxilia efficacia, aut merè sufficientia ad illam, connectuntur essentialiter cum statu Gratiae sanctificantis.

XXXIII. Respondebis cum Vasq: ubi suprà. Statum gratiae esse necessarium ad diurnam observantiam legis, non quidem instar prævii prærequisiti; sed comitanter, aut potius consequenter: quia si quis ex auxilio Gratiae legem totam observet per multum tempus, hoc ipso fiet, ut Spiritum poenitentiae ac compunctionis à Deo accipiat, non enim patietur hic diutius in peccato hætere animam, quam videt legem totam accuratè observare: ergò hæc nequit per multum tempus observari sine statu gratiae, non quidem præcedente, sed subsequente diurnam illam observantiam.

XXXIV. Contrà. Hæc est mera conjectura, & forsan contra multa experimenta. Etenim non aliundè, quàm ex sacra doctrinâ scimus, quid ex supernaturalibus faceret, quid non faceret Deus in tali, vel tali rerum peristasi, quæ per se ac ex suis intrinsicis non est potius connexa cum uno, quàm cum altero: *Quis enim novit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* ergò duntaxat ex revelatione ipsius nosse possumus has res; sed ex unâ parte observantia præceptorum aliorum à præcepto charitatis, non est per se connexa cum auxilio seu spiritu compunctionis salutaris (præscindimus à præcepto etiam annuæ confessionis) quia talis intrinseca connexio non probatur: Deindè largiri DEUM Spiritum, seu auxilium hoc, est quid

supernaturale: & demùm neque ex scripturis, neque ex Conc: neque ex unanimi PP. Consensu, constat, decrevisse DEUM dare Spiritum compunctionis & poenitentiae salutaris ei, qui infectus uno peccato mortali contrà unum præceptum (e.g.) annuæ confessionis, cæteris obedivit ex auxilio DEI; aut certè proferatur in medium ejusmodi testimonium; ergò quamvis conjicere, non tamen resolvere possumus, daturum DEUM Spiritum compunctionis ei, qui uno præcepto violato, cæteris distinctis à charitate obedit: ergò in præsentis providentia potest contingere, & forsan aliquandò contingit, quod cæteris præceptis obediat, qui infectus est uno lethali (e.g.) contrà præceptum annuæ confessionis: ergò neque in isto sensu status gratiae est simpliciter necessarius ad observantiam legis.

XXXV. Explicatur. Res practica est, & non merè speculativa, quod homo cæteris præceptis, in quorum observantia non experitur tantam difficultatem, obediens & quidem ex motivis honestis, pusillanimitate oppressus non confiteatur per aliquot annos peccatum A: vel inimicum diligere, seu amicam abjicere nolit, vel rem alienam restituere gravetur, quia neque omnia & singula vitia, neque omnes & singulae virtutes specificativè sumptæ invicem respectivè connectuntur: ergò voluntariè dicitur eum, qui per duos vel tres annos obedivit aliis præceptis à charitate distinctis ex motivo honesto, accepturum à Deo Spiritum compunctionis, id est auxilium efficax ad salutarem poenitentiam, ut fateatur Sacerdoti peccatum illud, ut explicet se à pravo illo commercio, amore, &c. maximè cum iste non obstante istâ observantiâ sit Filius iræ, inimicus DEI, transfuga ad castra Diaboli, & totius legis reus.

XXXVI. Cæterùm status gratiae est moraliter & secundum quid necessarius ad diurnam legis totius observantiam, etiam præscindendo ab illis præceptis, quorum obedientia reconciliat nos Deo: & hæc videtur mens S. Thomæ agentis 1. 2. quæst. 109. art. 4. *In statu naturæ corruptæ non potest homo implere omnia mandata Dei*

vina sine Gratia sanante; tale namque est dominium, quod Diabolus acquirit supra hominem vel unico lethali infectum, tam varia, multiplicia, & ardua præcepta includit lex tota, ut nisi homo ultra auxilia consistentia in actibus intellectus, & voluntatis, roboretur etiam Gratia sanctificante, ægrè admodum cohibitur sit passionum petulantiam, ingruentes passim illecebras, ægrè admodum vitaturus continuata scandala, quæ juxta iter ponit nobis Diabolus, & observaturus totam legem per multum tempus, licet reipsa possit physicè, si per singulas occasiones præveniatur divinis inspirationibus: ergo ad diurnam totius legis observantiam est moraliter ac secundum quid necessarium esse immunem à lethali; ergo habere Gratiā sanctificantem. Est igitur hæc moraliter necessaria, non directè, ac positivè, quasi constitutiva foret proxima libertatis ad observantiam illorum præceptorum; sed negativè, ac indirectè, tamquam removens prohibens, id est tamquam rectè ordinans animam erga DEUM, & terribilem constituens contra diabolum, ita ut illius auxilia sint uberiora & magis vivida, hujus autem impetus & suggestiones minùs crebra, & fortia. De hac etiam morali necessitate intelligendi sunt textus, quos conglomerant adversarii, probandi ergo absolute & simpliciter Gratiā hanc esse necessariā ad prædictā legis observantiam, (e.g.) *Peccatum peccavit Hierusalem; propterea instabilis facta est. Abscondi à te faciem meam, & indignatus sum, & abiit vagus in viā cordis sui.* Profecto in utroque textu alluditur non ad unum simplex lethale ex merā fragilitate, quod tamen sufficit ad expellendum hanc gratiam, sed ad congeminata scelera, in quorum poenā DEUS negabat auxilia efficacia ad vitandum alia peccata, & permittebat cor vagum abire in vias suas. Item Eccl: 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Ex quibus omnibus intulit Gregorius Hom: 11. in Ezech: Memorabilem illam sententiam, *Peccatum, quod per penitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit*: Quæ omnia satis probant statum gratiæ esse moraliter in gradu supremo necessarium ad diurnam legis observantiam, & si-

Thren. 1.

Isai. 57.

nè illo lapsurum hominem ex uno lethali non post multum tempus in aliud.

XXXVII. Cæterum hæc, & similia testimonia non probare statum gratiæ esse prorsus simpliciter necessarium ad diurnam legis observantiam, constat ex stylo, & more loquendi scripturarum, immò & vulgari etiam inter nos, juxta quem id dicitur sine falsitate, aut improprietate, *non esse absolute & simpliciter*, quod quamvis sit, rarò tamen & parè contingit: Et id esse absolute, & simpliciter quod quamvis hic & nunc non sit, plerumque tamen est: Cumque rarò contingat, hominem nudatum præsidio Gratia habitualis observare diu totam legem, & plerumque non observet: Idcirco quamvis aliquando observet, dicitur sine falsitate, ac improprietate, non observare; & quamvis aliquando abstineat ab omnibus aliis peccatis, dicitur nihilominus non abstinere. Assumptum est planum medicriter perito scripturarum: Joa: 18. dicit Dominus. *In occulto locutus sum nihil*: coram illo Judæorum Concilio; & tamen illà eadem nocte in cenaculo, in penetralibus illius domus ad solos discipulos habuerat longam illam concionem mysteriis repletam, quæ implet cap: 14. 15. 16. & 17. Joan: Ergo multa locutus fuerat in occulto. Sed quia sic loqui in occulto, & extra publicum rarò contingebat, meritò dixit: *In occulto locutus sum nihil.* Item Act: 27. dicit Paulus: *Quartadecimā die hodie expectantes jejuni permaneris nihil accipientes, &c.* Similiter Tob: 3. dicitur de illā Sarā. *Tribus diebus & tribus noctibus non manducavit neque bibit; sed in oratione persistens, &c.* quæ ambo, sed maxime illud primum, absque miraculo, vel specialissimā saltem providentiā contingere non potuerunt. Sed illustris magis est locus apud Job: 2. cujus amici, qui ad consolandum eum venerant, dicuntur *sedisse cum eo in terrā septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum, &c.* Id verum est, quia rarò, & nonnisi ad functiones necessarias surgebant de terrā, & pauca admodum locuti sunt per illud tempus.

XXXVIII. Similiter juxta scripturarum consuetudinem id dicitur absolute ef-

tè esse, quod licet non semper sit, plerumque tamen est; Nam apud Joa: proximè cit: dixit Dominus *Ego semper docui in Synagoga, & in Templo*; & tamen constat ex Luc: *Docebat de naviculâ turbas* & cap: 6. *in loco campestri* & cap: 7. *in Domo Simonis Leprosi*. Similiter Danie: 6. dicitur de illo Rege mæsto propter casum sui Amici: *Dormivit incenatus cum postea subjungatur: Somnus recessit ab eo*. Si dormivit; somnus non recessit; Si recessit, non dormivit: Sed quia ire cubitum plerumque conjunctum est cum dormitione, hæc de causâ illum *ivisse* cubitum, dicitur *dormivisse*. Ergo ex loquutionibus, quas agglomerare solent adversarii, non concluditur hominem sine gratiâ sanctificante addere semper nova peccata, & numquam penitus observare cætera præcepta, quæ quotidie occurrunt: ergo non concluditur illam esse simpliciter necessariam ad diuturnam observantiam legis, sed solum secundum quid.

XXXIX. Unum est quod maxime movet illos Authores: nempe quod credunt, hoc docuisse Augustinum, & hoc negasse Pelagium. Moventur tùm ex Can: 5. Conc: Milev: quod ut regulam Fidei citat Cœlestinus Papa ep: 1. ad episc: Galliar: cap: 11. *Quicumque dixerit, ideo nobis Gratiâ justificationis* (in hoc verbo stat tota difficultas) *dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per Gratiâ, &c. anathema sit*: Ergo Gratiâ justificationis, id est Gratiâ habitualis, seu justificans non tantum moraliter, sed simpliciter, & scholasticè loquendo, est necessaria ad obediendum legi. Tùm ex Aug: cap: 26. de Spiritu & litt: *Sic intelligendum est, factores legis justificabuntur, ut sciamus eos non aliter esse factores legis, nisi justificentur: Et non justificatio factoribus accedat, sed factores legis justificatio præcedat*. Ergo Gratiâ justificans necessariò debet præcedere obedientiâ legis: ergo hæc obedientiâ nequit esse sine illâ: neutrum urget. Tùm quia si esset sermo de Gratiâ habituali, id est, formaliter per se sanctificante, de quâ solâ est præfens difficultas, sequeretur eum, qui minimo, & unico lethali est infectus ex merâ fragilitate, nulli prorsus obedire posse præcepto in eo statu

per actum honestum: ergo nec credere nec obedire præcepto officii Ecclesiastici, nec resistere tentationi desperationis, aut lasciviæ, nec dare eleemosynam, nec disponere se ad justificationem per Sacramentum suscipiendum, aut per actum contritionis; quod tamen non facile probabunt Adversarii. Tum quia ut observat Vasq: 1. 2. disp: 196. cap: 3. Nusquam fuit controversia inter Augustinum, aliosvè Patres, cum Pelagio super necessitate ad benè operandum *Gratiæ formaliter sanctificantis*; sed tota fuit de prærequisitione Gratiæ *auxiliantis* consistentis in sanctâ cogitatione, aut pio voluntatis motu.

XL. Ignorantia ergo vocis, ac historiæ, ut ibidem concludit n. 13. lapsi sunt illi, qui putant licem fuisse de Gratiâ formaliter per se justificante, quam habituales sanctitatem, aut Gratiâ vocare solemus. Igitur August; Patres Milevit: & Cœlest: Papa loquuntur de Gratiâ justificationis, non quâ formaliter immediatè justif sumus; sed ex quâ justificationis exordium sumitur, id est loquuntur de Gratiâ præveniente, & de vocatione illâ intentâ, ex qua juxta Sess: 6. Trid: cap: 5. justificationis pendet initium. Et hac de causâ vocatur Gratiâ justificationis, nempe quia inde incipit series justificationis; quod à posteriori etiam constat. quia cum Trident: renovet in ea Sessione doctrinam totam Augustini, & antiquæ Ecclesiæ contrâ Pelagium & Ascleas, totum est in Gratiâ præveniente excitante atque movente, & neque unum verbum profert in ordine ad necessitatem (ut observentur præcepta) de Gratiâ formaliter per se sanctificante.

XLI. Denique objiciunt. Nullus mortuus potest quidquam salutare operari, & multò minus elicere egregium & maxime arduum opus, quale est observare totam legem per multum tempus, sed omnis qui est sub lethali est mortuus: ergo, &c. Si tam mortuus est, ut quid concionatores, & scripturæ vociferantur? Miscet aliqui metaphoras, & similitudines rigidas, & scholasticis disputationibus. Omnis peccator est mortuus, quatenus non habet jus ad vitam æter-

æternam, quatenus non habet semen gloriæ, nimirum gratiam & amicitiam DEI, quatenus nihil salutare operari potest, quod sit meritum condignum vitæ æternæ. Verumtamen non est mortuus, quatenus instar cadaveris non habeat facultatem ullam movendi se honestè, & cum merito de congruo, ut obtineat vitam Gratiæ justificantis. Habet hanc facultatem præventam, motam, & adjutam seu potius intrinsecè constitutam per divinam vocationem, & inspirationem, quâ, licet mortuus, vivificetur in ordine ad honestè operandum, æger & languens corroboretur ad egregium illud & arduum opus diuturnæ observantiæ aliorum præceptorum. Unde dist: maj: Nullus mortuus morte consistente in subtractione etiam Divinæ Gratiæ excitantis ac prævenientis, potest, &c. conc: morte consistente præcisè in carentia Gratiæ sanctificantis subdist: non potest salutariter operari merito, quod sit condignum gratiæ & gloriæ conc: merito purè congruo nego: quia eleemosynis potest redimere peccata sua, & aliorum præceptorum observantiâ potest movere divinam misericordiam, ut illa ei largiatur auxilia, quibus in pristinum sanctitatis statum restituatur per Sacramentum, aut per contritionem perfectam.

CAPUT IV.

De oppositione Gratiæ cum peccato & distinctione ab habitu charitatis.

XLII. **Q**uestio quarta est. Quo sensu & ratione hæc Gratia sanctificans opponatur cum peccato: Et quidem lethali; nam cum *sepries in die cadat justus*, & jure dicat *dimitte nobis debita nostra*: certum est illam gratiam non opponi quoad existentiam cum quotidianis, & venialibus peccatis: Oppositio duorum potest esse metaphysica, scilicet quando nec divinitus possunt coexistere in eodem tempore, aut in eodem subjecto (e.g.) *Omnem hominem esse album*, & *nullum hominem esse album*; nec divinitus possunt hæc esse simul vera: Item, idem subjectum esse rationale & simul irrationale, quæ nec divinitus possunt evenire. Potest item esse purè physica, seu naturalis: nempe quæ di-

vinus saltem superari potest, qualis est oppositio ignis cum unione sui ad frigus, & nivis cum unione sui ad ignem. Potest demum esse purè moralis, nempe vehemens contrarietas unius cum altero; sed quæ physicè, ac metaphysicè vinci potest; ut oppositio Regiæ Majestatis cum eo, quod capite plectatur a suis subditis. Præterea consortium Gratiæ, & peccati, trifariam potest considerari: primò ita ut Gratia superveniat in instanti A (e.g.) præcedente, & perseverante peccato in eodem instanti. Secundò, in verso modo, ita ut superveniat peccatum, præcedente & perseverante Gratiâ; Tertiò, ita ut simul citrà unius ad alterum præcedentiâ, detur Gratia, & peccatum, purè concomitanter se habentia. Demum peccatum potest esse actuale, ut actus hic & nunc conceptus liberè contra conscientiam graviter obligatoriè retrahentem: vel habituale, ut peccatum olim commissum; sed neque retractatum, nec condonatum, & consequenter habitualiter perseverans, habitualitate vel merè Philosophicâ, vel Theologicâ, importante carentiam divinæ condonationis, juxta ea quæ scripti de act: hum: malis.

XLIII. Dico ergo primò, Gratia sanctificans & peccatum grave opponuntur invicem relatè ad eandem personam, non purè moraliter, seu ex quadam decentiâ, quâ congruit non esse infectam lethali personam, quæ Gratia sanctificante nobilitatur; sed physicè ac ex naturâ ipsâ rerum. Non dixi relatè ad idem subjectum, sed relatè ad eandem personam abstrahendi ergò à supervacaneâ aliâ difficultate, an nimirum possint esse simul unita lapidi Gratia sanctificans, & consensus peccaminosus elicitus ab homine, sed miraculosè unitus eidem lapidi: in quo casu, si possibile est, non concurrunt effectus illi formales amici, & inimici DEI, quoniam utriusque incapax est lapis, & quodvis aliud subjectum rationis experts.

XLIV. Probo conclusionem. Et primò quidem contra hoc consortium Gratiæ, & peccati, magis urgent, quam contra matrimonium fidelis cum infideli, apostolica illa verba cap. i. cit: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, &c.* Ergò

Ergo ex naturâ ipsâ rerum pessimè conveniunt inter se, seu invicem opponuntur Gratia & peccatum: Atqui aliundè non constat esse causam ullam naturalem potentem vincere hanc oppositionem, & conjungere in eâdem personâ hæc duo, sicut constat esse causam naturalem potentem vincere hanc oppositionem aquæ cum intenso calore, & separationem corporis à suo centro, & alia hujusmodi, cum potius constet nobis ex principiis fidei, quæ sola aperuit hominibus hanc Gratiam sanctificantem, illam deficere simul ac committitur lethale, & hoc penitus remitti simul ac supervenit illa Gratia: ergò dicendum oppositionem Gratia cum peccato esse physicam ex naturâ ipsâ rerum, invincibilem omni causæ creatæ naturali, & consequenter non esse oppositionem putè moralem seu ex quâdam decentiâ.

XLV. Et ratio est. Quoties duæ formæ suapte naturâ dant subjectis capacibus effectus formales suapte naturâ oppositos, & quos nullum agens naturale creatum potest conjungere, toties illæ duæ formæ physicè saltem, ac ex naturâ rei opponuntur invicem. Sed Gratia, & peccatum grave sunt hujusmodi; nam Gratia suapte naturâ reddit personam mundam, dignam amore amicabili DEI, & amicum DEI; lethale verò suapte naturâ reddit personam immundam, filiam Diaboli, & inimicam DEI: qui profectò effectus formales suapte naturâ sunt oppositi non minùs quàm *intense frigidum*, & *intense calidum*, & deindè non constat agens ullum naturale creatum posse conjungere in eâdem personâ hos duos effectus formales; ergò Gratia & peccatum, non putè moraliter & ex quâdam decentiâ, sed physicè ex naturâ rei opponuntur oppositione invincibili naturæ toti creatæ: maj: nisi sit vera non suppetet ratio ad probandum, mutuo opponi ex naturâ rei, esse physicè vivens, & esse intensè nigrum, cum esse physicè cadaver, & esse intensè Album: & reliqua hujusmodi, quæ juxta communem mortalium sensum opponuntur physicè ex naturâ rei.

XLVI. Dico secundò. Impossibile est, quod superveniente Gratia sanctifi-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

P P

cante, perseveret seu continetur peccatum actuale grave prius inceptum. Item quod perseveret peccatum habitualitè Theologicâ; non tamen est metaphysicè impossibile, quod superveniente lethali perseveret hæc Gratia prius data homini; quare Gratia, & peccatum specificativè ac secundum se præcisè inspecta opponuntur tantum physicè; secundum dictam autem combinationem, seu ordinem prioris, & posterioris opponuntur metaphysicè saltem mediata, ac indirectè. Probatur prima pars. Impossibile est etiam metaphysicè, quod sit DEUS causa specialis & per se ullius actualis durationis, seu continuationis peccati actualis juxta Can: 6. Sess: 6. Trident. quoniam illa actualis continuatio est actuale peccatum; sed si Gratia superveniente continuaretur peccatum, Deus esset causa per se specialis illius continuationis, seu durationis. Probatur. Deus est causa per se omnis stricti miraculi superantis vires totius naturæ in eo casu, sive circumstantiis, in quo esset strictum miraculum (quamquam aliàs per se ab intrinseco miraculum non esset) quemadmodum licet unio substantialis animæ cum corpore non sit per se ab intrinseco miraculosa, quia tamen miraculosa est, & supra totam naturam, ex hypothesi quod homo sit mortuus, hæc de causâ DEUS est author specialis & causa per se illius reunionis, quando mortuus resurgit; sed actualis duratio, sive continuatio, aut perseverantia peccati lethalis in eodem instanti, in quo superveniret hæc Gratia, esset miraculum strictum superans vires totius naturæ: quia cum ex unâ parte generatio unius suapte natura inducat corruptionem alterius, quando unum & alterum suapte natura opponuntur oppositione invincibili naturæ toti: & cum ex altera parte gratia & lethale sic opponuntur juxta primam conclusionem, palàm fit, infusionem gratiæ suapte natura esse destructionem illius continuationis peccati lethalis, non minùs, quam magna copia aquæ suapte natura extinguit modicum, & vulgarem ignem; ergo sicut conservatio actualis, quando est ignis vulgaris in sensu composito illius copiarum aquarum, esset miraculum superans vires totius naturæ, ita actualis du-

duratio, continuatio, seu perseverantia in consensu lethali in sensu composito supervenientis gratiae sanctificantis: Ergo Deus foret causa per se, & specialis conservationis peccati illius actualis, & lethalis.

XLVII. Porro libertas ad continuandum vel non continuandum illud peccatum salvabitur, & non salvabitur, prout fuerit decretum Divinum infundendi gratiam illam. Si hoc decretum penderit ab exercitio illius libertatis, (e.g.) *volo dare libertatem A: & quia hac non continuabit peccatum in instanti B: volo tunc infundere gratiam sanctificantem*, subsistit libertas ad continuandum, vel non continuandum lethalem illum consensum: quia illa libertas A ex suis intrinsicis est potens continuare peccatum, cum supponamus esse ex se libertatem ad continuandum vel non continuandum: ergo ea libertas potest impedire actum scientiae mediae enunciantem, *non continuandum illud peccatum*; ergo potest impedire decretum infusivum Gratiae, essentialiter regulatum per actum illum scientiae mediae; ergo potest impedire infusionem ipsam Gratiae nascentem ex eo decreto: ergo quamvis hac infusio sit metaphysicè opposita cum eâ continuatione, eo quia sequeretur juxta paulò antè dicta Deum fore causam specialem, & per se illius continuationis; verumtamen non est inevitabilis per eam libertatem A: ergo non destruit illam juxta principia Societatis. Sin verò decretum infusivum Gratiae à nullo pendeat exercitio illius libertatis, est ipsi inevitabile, & consequenter est inevitabilis infusio Gratiae; ergo dabitur aliquid metaphysicè oppositum cum illâ continuatione, nimirum complexum ex eâ infusione ac divinâ sanctitate quorum neutrum est vitabile per eam libertatem: ergo ruit hac.

XLVIII. Probo secundam partem de impossibilitate perseverantiae habitualitatis Theologicae: quod ut capias memineris duplicis habitualitatis. Peccatum habituale habitualitate philosophicâ consistit in eo, quod olim sit patratum, & non sit retractatum à peccatore, sit vel non sit condonatum per DEUM.

Potest namque hic in aliâ providentiâ condonare peccatum, licet homo non retractet illud. Non nego posse perseverare hujusmodi habitualitatem, Gratia superveniente: quia haec non connectitur metaphysicè cum eo quod peccator detestetur praeiteritum peccatum: ergo non opponitur cum carentiâ hujus detestationis seu retractionis: ergo superveniente hac Gratia potest esse verum quod peccatum fuit commissum & non retractatum; ergo potest perseverare habitualitas purè philosophica peccati. Peccatum verò habituale habitualitate Theologicâ consistit in eo, quod sit patratum & non sit condonatum à Deo, sit necnè retractatum à creaturâ; quandoquidem potest ille non condonare peccatum, licet valdè creaturam poeniteat illud commississe, ut defacto non condonat, quando homo sola attritione retractat peccatum, & neque Sacramentum, neque martyrium subit. Haec est habitualitatis species, quam dixi non posse perseverare gratia superveniente: quoniam impossibile est quod DEUS non condonet peccatum in sensu composito verissimè, & propriissimè condonationis; At infusio gratiae sanctificantis verissimè & propriissima condonatio est peccati, si fortè hoc praecessit. Ergo impossibile est, quod DEUS non condonet peccatum praecedens, quando infundit hanc gratiam: ergo impossibile est quod hac superveniente perseveret non condonatio peccati, & habitualitas Theologica peccati; Probatur minus. Tum quia unica causa formalis nostrae justificationis est haec justitia seu gratia juxta Sess. 6. Trident. c. 7. Ergo hac gratia per se formaliter est condonatio, remissio, seu justificatio, quando lethale praecessit. Unde sicut in sensu composito caloris potest subjectum habere frigus, quod est quid positivum; nequit tamen non esse calidum, quia calor est causa formalis calidorum; ita in sensu composito hujus gratiae possunt quidem alia contingere, immò & fieri potest quod homo actuali malitia lethali inficiatur, non tamen potest fieri quod peccatum non condonetur; in quo casu existet & non existet peccatum in diverso sensu; existet quidem *physicè* & quoad moralem malitiam violandi legem; non

non autem existet moraliter quoad jus proximum & immediatum excitandi indignationem Divinam contra peccatorem. Verumtamen in sensu composito hujus gratiae nequit fieri, quod peccatum non condonetur, quia hoc est contradictorium condonationis, qui est effectus formalis positivus hujus gratiae, quando peccatum recessit. Denique ratio est. Licet sit quaestio de possibilitate condonationis purè extrinsecæ, & multi negent illam; omnes tamen Catholici Theologi conveniunt in possibilitate condonationis intrinsecæ id est formæ, quæ cum sit intrinseca homini per unionem, per se formaliter immediatè eum interiorius renovet, deleatque habitualitatem theologicam peccati consistentem injure, titulo & motivo, ut DEUS odio inimicitiae prosequatur hominem; sed non est alia condonatio intrinseca respectu puræ creaturæ in hoc statu viæ quam gratia sanctificans, vel ostende illam: ergo est impossibile, quod Deus peccatum non condonet in sensu composito infusionis hujus gratiæ; ergo hæc gratia est inconjunctibilis cum peccato habituali habitualitate Theologica utpotè consistente in carentia divinæ condonationis, in qua carentia non consistit actualis malitia formaliter peccati actualis.

XLIX. Probatur tertia pars: Videlicet non esse impossibile quod superveniente lethali perseveret hæc Gratia olim infusa homini. Eo ipso quod peccatum, quoad suam actualem malitiam violandi practicum dictamen conscientiae, non opponatur essentialiter metaphysicè cum perseverantia gratiæ: & ex alia parte non sequatur ulla indecentia in Deo ex eo quod sit Author, & causa per se conservationis gratiæ, fieri potest quod hæc conservetur à Deo specialissima providentia in instanti ipso, in quo supervenit lethale. At quamvis hoc suapte natura opponatur cum gratia, sicut forma cadaverica (v. g.) cum forma vitæ; nihilominus non opponitur cum illa essentialiter metaphysicè, quia hæc oppositionis species nondum probatur. Deinde nulla est indecentia in eo quod Deus sit specialis Author & causa per se conservationis gratiæ in instanti peccati: solum namque sequetur DEUM non in-

dulgere innatæ exigentiæ peccati, & non mulctare hominem privatione gratiæ, quam merebatur. Item solum sequetur, DEUM esse causam per se complexi, seu coexistentiæ gratiæ ac peccati perfectitate terminata *ad Gratiam*, secus perfectitate *ad peccatum* terminata: ergo, &c. Quapropter sicut Frater Sororis non est Soror Fratris, licet hæc duo complexa easdem imbibant entitates: ita *Gratia coexistens peccato* non est, *peccatum coexistens Gratia* licet in utroque complexo, seu coexistentia imbibantur eadem entitates.

L. Explicatur. Aliud est peccatum quoad solam suam malitiam formalem violandi legem; aliud quoad jus completum, & absolutum in DEO, ut odio inimicitiae prosequatur illam creaturam. Primum consistit in solo ipso libero exercitio concepto contra conscientiam graviter obligatorie retrahentem. Secundum ultra hoc exercitium addit privationem Gratiae; Nam cum hæc sit condonatio intrinseca peccati, nequit dari jus proximum, & completum ad illud odium in sensu composito hujus Gratiae; cumque ex alia parte non probetur constitutum ullum malitiæ formalis esse per se metaphysicè connexum cum carentiâ Gratiae, palam fit juxta regulam supra datam, jus proximum completum & absolutum ad prædictum odium divinum constitui per carentiam seu privationem hujus Gratiae: ergo licet lethale quoad hoc jus sit metaphysicè oppositum cum Gratia, non tamen inspectum quoad suam malitiam formalem, quæ solum est jus fundamentale, & ex parte creaturæ proximum; sed non absolute & simpliciter, omnibusque pensatis: ergo licet nequeat perseverare gratia, superveniente lethali, cum toto illo jure completo, & absoluto, tum ex parte creaturæ tum ex parte DEI; potest tamen perseverare superveniente peccato quoad suam malitiam formalem, & quoad illud jus proximum & quidem completum ex parte solius creaturæ, sed non proximum & completum absolute, & ex parte ipsius DEI. Placuit videtur quod, sicut homo, multo magis Deus ipse fons bonitatis potest sic se gerere. *Quamvis tu actu me offendas, &*

quatenus est ex parte tui tam indignum te reddas meâ gratiâ, nolo tibi umquam irasci propter istam actionem: Remitto illam tibi: perinde me geram tecum ac si numquam eam patraffes; Atqui in sensu composito generosi hujus actûs non perseverat in DEO jus proximum & completum, & absolutum ad odium illius creaturæ propter illam actionem (nam si aliquis est possibilis casus, qui sit cessio absoluta hujus juris, est iste) cum tamen in sensu composito sit præsens malitia formalis peccati: ergo hæc malitia, & illud jus proximum sunt res invicem separabiles: ergo datur locus, ut coëxistente illâ malitiâ cum Gratiâ, nequeat coëxistere hoc jus, titulus, motivum, seu fundamentum proximum & completum.

LI. Et hinc infertur ultima pars: nempe Gratiâ & peccatum specificativè sumpta opponi physicè dumtaxat, quandoquidem sinè contradictione, licet non sinè miraculo possunt conjungi in eadem Animâ DEO conservante ibi Gratiâ, non obstante peccato superveniente. Opponi autem metaphysicè etiam, sed mediâtè & indirectè in hoc solo sensu, scilicet quatenus superveniente Gratiâ non potest conservari actualis consensus lethalis. Cum enim ambo per se essentialiter connectantur, cum DEO vero, & reali: connectuntur, eo ipso cum hujus infinitâ & necessariâ sanctitate, & per se metaphysicè repugnant ejusdem imperfectioni. At conservari peccatum actuale superveniente Gratiâ esset imperfectio in DEO repugnans suæ infinitæ sanctitati, quoniam hæc conservatio, utpotè miraculosa, superveniente gratia, esset à solo DEO ut causâ per se atque Authore: Ergo, &c. Nequè dicas, DEUM nolentem defacto condonare peccatum non pœnitentium, & spirituum damnatorum, esse absque ulla indecentia causam per se habitualitatis eorum peccatorum. Etenim hæc habitualitas sumpta non quidem in concreto (nam sic dicit in recto actionem ipsam peccaminosam olim commissam) sed in abstracto prout consistens in mera non condonatione Divina, aut in mera non retractatione peccatoris carentis facultate ad retractandum, non est peccatum; illa verò

actualis duratio pravi consensûs peccatum est: Ergo licet DEUS possit esse causa per se illius, non tamen hujus.

LII. Sed objicit: contra conjungibilitatem gratiæ & peccati, quomodolibet contingat. Esse Amicum DEI, & esse inimicum DEI; Esse amabilem, & esse odibilem DEO; Esse purum, & esse immundum; Esse Filium DEI, & Filium Diaboli. Habere jus ad gloriam instar filii adoptivi DEI, & habere reatum ad poenam æternam instar exheredati à DEO, & demum id generis alii effectus formales, qui conglobari solent; per se essentialiter metaphysicè opponuntur mutuo. At gratia sanctificans tribuit priores effectus formales creaturæ rationali. Peccatum autem grave posteriores: ergo hæc duo tribuunt effectus formales per se metaphysicè oppositos; ergo ipsa inter se metaphysicè opponuntur quoad existentiam in eadem creatura rationali capaci horum effectuum. Confirm: Si homo habens simul gratiâ & peccatum moreretur, neque ascenderet in Cælum, quod nullus immundus ingreditur: neque descenderet in Infernum damnatorum, ubi nec minimus radius gratiæ sanctificantis illuxit umquam. Quid ergo fieret de Anima illa, profecto nec esset DEI, neque Diaboli, & esset sicut illa, de qua vulgus per jocum dicit, quod neque DEUS, neque Diabolus voluit illam; seu potius esset, & simul non esset ex parte utriusque.

LIII. Resp: Communis, & mihi vera philosophia docet, posse sinè ulla repugnantia metaphysicè convenire in eadem materia formas suapte naturæ oppositas (e.g.) formam vitæ, & formam cadavericam. Item in eodem subiecto accidentia similiter opposita (e.g.) frigus ut octo, & calorem ut octo. Fiat argumentum idem, & dabitur responso eadem. Igitur, esse *vivum* (e.g.) duo importat: unum positivum nempe vitalem formam; alterum negativum, scilicet carentiam formæ cadavericæ, si hæc admittitur in rerum natura. Similiter esse *mortuum* importat duo; unum positivum scilicet formam cadavericam; & alterum negativum, scilicet carentiam formæ vitæ. Forma vitalis, & sua carentia.

rentia certè opponuntur Metaphysicè, sicut forma cadaverica, & carentia sua: ergò repugnat Metaphysicè, quod idem subjectum sit vivum, & mortuum, secundum negativum, quod dicit uterque hic effectus formalis; Cæterum positiva ipsa entitas formæ vitalis, & positiva entitas formæ cadavericæ non est quod Metaphysicè opponantur: Ergò quamvis repugnet idem subjectum pro eodem instanti esse vivum & esse mortuum secundum negativum; non tamen esse vivum & esse mortuum secundum positivum, quod hi duo effectus formales important. Quod si formam cadavericam positivam non admittas, admitte hoc exemplum, & produci formam ignis, & formam ligni, aut calorem ut octo, & frigus, ut octo: & fac eundem discursum. Idem dico de assensu, & dissensu ejusdem intellectus, de objecto eodem pro eodem instanti, & secundum eandem expressionem; idem de amore & odio; de volitione & nolitione; de spe & desperatione, & similibus: Nempè ista omnia sumpta secundum solum positivum posse conjungi; secus sumpta secundum positivum, & negativum quomodo sumuntur, quando strictè sumuntur. Nam sic unumquodque ex his importat carentiam alterius.

LIV. Hoc in præsentiarum. Esse sanctum, purum, Deo amabilem, &c. duo important, unum positivum scilicet gratiam sanctificantem; alterum negativum nempè carentiam peccati gravis. Similiter esse nequam, esse immundum, Filium Diaboli duo important, unum positivum (quo nomine intelligo etiam puram omissionem lethalem, si fortè est possibilis) nimirum peccatum lethale; alterum negativum scilicet carentiam hujus gratiæ; At quamvis gratia & sua carentia; Item peccatum & sua carentia invicem opponantur metaphysicè, non tamen est, cur opponantur metaphysicè positiva entitas gratiæ & positiva entitas peccati, de quo solo est quæstio: ergò quamvis hi effectus formales, esse mundum & esse immundum, esse amabilem & esse odibilem, sumpti secundum negativum Metaphysicè opponantur invicem; non tamen sumpti secundum merum positivum quod im-

portant. Et sicut positivum illorum effectuum formalium, esse lignum, & esse ignem, esse vivum & mortuum; esse intensè calidum & intensè frigidum, non connectitur metaphysicè cum illo, quod important idem sumpti secundum negativum; ita hi effectus formales, esse sanctum, & esse nequam, esse amabilem, & esse odibilem DEO, sumpti secundum merum positivum non connectuntur metaphysicè cum negativo. Confirmatio procedit in hac providentia, & conclusio nostra de alia providentia possibili: ergo non venit ad rem.

LV. Nescimus quid Deus statueret de homine moriente cum gratia & cum lethali, quia hætenus non revelavit hoc; & solum scimus, quod posset illum, si vellet, aut detrudere in infernum cum gratia aut evehere ad Cælum cum peccato: esset igitur homo ille DEI, & Diaboli secundum positivum, secus secundum negativum; & neque esset DEI, neque Diaboli secundum negativum, secus secundum positivum.

Quæstio ultima est: An distinguantur mutuo realiter habitus Gratiae, & habitus charitatis. Quod habitus gratiæ seu Gratia sanctificans distinguatur realiter ab aliquibus saltem habitibus, v.g. Fidei, & Spei, non est dubium. Quoniam Sess: 6. Trid: Can: 28. consequenter ad illud quod definitum erat Cap: 15. anathema fertur in eum, qui dixerit amissâ per peccatum Gratia simul & Fidem semper amitti: quod similiter dicendum est de habitu Spei, & Can: antec: definitur aliis etiam peccatis ab infidelitate distinctis amitti Gratiam: ergò fieri potest, & vulgò fit, quod amissio habitus Gratiae non amittatur habitus Fidei, aut Spei, quippè qui solâ infidelitate & desperatione amittuntur: ergò aliqui saltem habitus Fidei & Spei infusi separantur realiter ab habitu Gratiae: ergo distinguuntur.

LVI. Difficultas ergò dumtaxat est de illo altero habitu, nempè habitu charitatis: & verosimilius est illum etiam distinguere ab habitu Gratiae, non quia in sacra doctrinâ inveniatur hæc locutio, Gratia & Charitas quasi una distinguatur ab alterâ: quoniam loquentes etiam

etiam de rebus identificatis solemus uti particulâ illâ & (e. g.) *Animal & rationale sunt, &c.* Sed propter duorum Conciliorum verba, & propter rationem: quæ duo fundamentum grave sunt ad iudicandum hos habitus esse distinctos, & consequenter oportere multiplicari entitatem charitatis habitualis, ultrâ entitatem Gratiæ, quamvis in hac providentiâ sint inseparabiles.

Igitur Trident: Sess: 6. Cap: 7. ait: *In ipsâ justificatione* (cujus unicam causam formalem paulò antè ibidem docuerat esse solam justitiam, id est habitum Gratiæ) *cum remissione peccatorum; hæc omnia simul infusa accipit homo per JESum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Ergò remissionem peccatorum, hoc est Gratiâ justificantem, contra distinguit ab eis virtutibus infusis, & eodem modo comparat cum Gratiâ charitatem, quo Fidem & Spem; sed est certum hos duos habitus accipi in justificatione distinctos à Gratiâ, & nuper probatum est: ergò est verisimilius accipi etiam habitum charitatis distinctum à Gratiâ. Profectò juxtâ contrarios perinde esset, dixisse Conc: hominem in justificatione, id est cum Gratiâ justificante, accipere Fidem, Spem, & Charitatem, ac dixisse cum Gratiâ accipere Fidem, & Spem distinctas à gratia; & insuper id quod est ipsa gratia. Præterea Conc: Mogun: c. 7. docet, cum venia peccatorum, *homo etiam DEI Gratiâ, & per Spiritum sanctum unâ cum Fide simul Charitatem in Corde diffusam, ac Spem concipit*, ubi clarè univocat charitatem cum Fide, & Spe in ordine ad discretionem à gratia: ergo sicut illæ duæ distinguuntur à gratia, ita charitas.

LVII. Ratio autem est. Sicut non sunt multiplicandæ entitates sinè necessitate, ita non est appingenda ingens quædam perfectio ulli entitati defacto existenti sinè urgenti fundamento. At appingere habitui charitatis defacto existenti, quidquid sit de alio possibili, identitatem cum gratia, id est vim sanctificandi formaliter per se, est ingens quædam perfectio & nullum urget positivum fundamentum: ergò dicendum est ut verosimile, habitum charitatis

non identificari cum gratia sanctificante. Locutiones autem scripturæ innuentes charitatem sanctificare (e. g.) 1. ad Cor: 26. Ubi charitas dicitur origo virtutum omnium; *Charitas patiens est, benigna est* & 5. ad Rom: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, &c.* & 1. Joan: 1. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut Filii DEI nominemur & simus*: & ib: 1. 4. *Qui manet in charitate, in DEO manet.* Item locutiones Patrum Phrasim sequentium scripturæ (v. g.) Bernardi Ser: 8. in Cant: *Per charitatem maritatur anima DEO.* August: de Nat: & Grat: cap: 42. *Charitas est verissima, plenissima, & perfectissima, Justitia, &c.* Et tract: 5. in 1. Joannis. *Charitas est quæ separat inter Filios DEI & perditionis.* & lib: 15. de Trinit: cap: 12. *Nullum est isto DEI Dono excellentius.* Quæ omnia possunt confirmari ex cap: 4. ep: 1. S. Petri. *Charitas operis multitudinem peccatorum.* Hæc inquam omnia, & hujusmodi alia, cum dicantur ad nostram doctrinam & disciplinam; non vero parvulum, ante usum rationis morientium, sed post baptismum & post susceptum in eo habitum charitatis, planè ac sinè ullo incommodo intelliguntur de actu ipso charitatis, ad quem concipiendum impellunt pigram mentem nostram, & scripturæ & PP. & quidem loquuntur de eo non tamquàm de formaliter justificante, sed tamquàm de efficaciter, atque ultimò disponente ad justificationem; actus autem charitatis non est dubium, quod distinguatur ab habitu gratiæ, cum ille transeat, & hic permaneat.

LVIII. Ob: 1. Trident: verbis nuper citatis docens ea, quæ accipit homo in justificatione, non meminit gratiæ habitualis; cum certum sit illam accipere, sed virtutum dumtaxat Fidei, Spei & Charitatis: ergò in aliqua ex his stat gratia habitualis. Sed non in Fide, neque in Spe: ergò in Charitate: Distinguitur: & meminerat illius paulò antè Conc: (nam ibidem dicit: *Unicam causam formalem nostræ justificationis esse Justitiam, qua iusti sumus.* Et hæc est, quam vocamus gratiam habitualem; non erat autem necessarium tertio quoque verbo repetere idem) Et non meminerat nego min: cum cæteris.

LIX. Ob: 2.

LIX. Ob. 2. Quid fieret de homine moriente cum solo habitu gratiae absque habitu charitatis, aut cum hoc solo sine illo? Hoc nescimus; quia nec DEUS revelavit, nec habitus hi per se essentialiter metaphysicè connectuntur, aut opponuntur cum sorte potius felici, quam infelici; sed tota connexio quam habent in hac providentia cum prima, & oppositio cum secunda, constituitur per divinum praesens decretum dandi gloriam & liberandi ab aeterna infelicitate eum, qui decessit cum alterutro habitu. Poterat igitur DEUS in casu isto, quilo- cum perfectò non habet in praesenti providentia, in qua hi duo habitus inseparabiles sunt, aut donare illi homini gloriam aut dare poenam saltem materialiter talem, aut ab utroque abstinere.

LX. Ob. 3. Si hi duo habitus distinguantur, alter esset otiosus, quoniam quidquid praestat unus praestat alter: ergo ad vitandum redundantiam, quam natura & gratia horrent, dicendum est, quod idem realiter habitus, & est gratia sanctificans & charitas. Nego ista omnia, quia gratia facit, quae non facit charitas habitualis, & haec, quae non facit illa; etenim gratia, quando ad- sunt cetera praerequisita, per se formaliter instar causae formalis, & non instar principii physicè efficientis constituit personam capacem, in esse Filii Dei adoptivi, in esse haeredis gloriae, in esse amabilis Deo, & insuper opera honesta, & libera facta in hoc statu viae per se formaliter constituit in esse meritorum condignorum augmenti gratiae illicò habendi, & augmenti gloriae habendi tempore per DEUM praedefinito sub hypothesi perseverantiae finalis. Nullum horum habet per se formaliter habitus charitatis, quia nullo argum- to positivo probatur in illo tanta & talis perfectio. Solum ergo arguitivè impor-

tat secum habitus charitatis amabiles dictas, & generosas dotes: quatenus in hac providentia arguit existere etiam in illo eodem subiecto, quod ipse infor- mat, habitum gratiae, cujus propriae sunt haec dotes; arguit autem hoc, quia quotiescumque infunditur homini habi- tus charitatis infunditur quoque habitus gratiae: cumque ille omni, & solo pec- cato mortali amittatur, sicut etiam ha- bitus gratiae, palam fit, habitum charita- tis perpetuò importare secum istos effe- ctus formales; non formaliter ratione sui, sed ratione habitus gratiae, cujus est individuus comes. Rursus habitus charitatis, quando existit, constituit proximam immediatam potestatem a- mandandi DEUM suppositis aliis praerequisi- tis ex parte personae amatae (ob quo- rum defectum infans baptizatus non est proximè potens amare DEUM, quamvis habitu charitatis fruatur) sicut habitus fidei proximam facultatem ad actum fi- dei; gratia autem habitualis, quamvis sit radix per modum naturae horum ha- bituum, tamen non constituit dictas proximas facultates; Ex quibus habes quod quando disputatur: An habitus charitatis influat physicè in actum prae- ceptum? proceditur, urgendi causà diffi- cultatem, in suppositione sententiae huic contraria: nempe supponitur quod habitus hic sit realiter identificatus cum habitu Gratiae: & consequenter quod sit oppositus omissioni graviter peccami- nosae illius actus: & consequenter per se connexus cum hoc actu, quam supposi- tionem, si negare volueris, citò solves illam difficultatem; sed quia Theologi illam disputant in hac suppositione; Ideo & ego inharens illis, in hac eadem sup- positione disputo in suo loco eam diffi- cultatem; absolutè tamen loquendo suppositio illa est falsa, quia, ut vidi- sti, hi duo habitus sunt per se distincti & inconnexi.

F I N I S.

INDEX